14:1

De antiquissimis veterum quae ad Iesum Nazarenum spectant testimoniis

scripsit

Kurt Linck

Gießen 1913
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

BL
25
R38
v.14:1

OC
R279
v.14:1

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

begründet von

Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**

herausgegeben von

Richard Wünsch und **Ludwig Deubner**

in Münster i. W. in Königsberg i. Pr.

XIV. Band. 1. Heft

Kapitel III ist als Dissertation von Königsberg 1913 unter dem Titel *De Taciti quod ad Christianos spectat testimonio* veröffentlicht worden.

RICARDO WUENSCH

SACRUM

Prooemium

Quattuor exstant veterum scriptorum testimonia, quae nomen Christum sive Chrestum exhibent et ad Iesum Nazarenum vulgo referuntur: Iosephi ant. Iud. XVIII 63 sq. Niese; Plinii ad Traianum ep. 95, 96; Taciti ann. XV 44; Suetonii Claud. 25. Sed etiam hodierno die docti viri valde inter se dissentiunt, utrum ea pro genuinis sint habenda necne, ac nuperrime, postquam Arthurus Drews libellum, qui inscribitur 'Christusmythe', in publicum emisit Ienae apud E. Diederichs, anno 1910 priorem partem, alteram ibidem 1911, sententiarum perturbatio facta est tanta, ut et defensores illorum testium integritatis et adversarii quidquam referre negent, sitne probanda ἡ αὐθεντία locorum illorum an reicienda, cum inde nihil colligi posse censeant de Christianorum sectae auctore Iesu Nazareno[1]. At huic sententiae nequaquam assentiendum esse iudico; nam testimonia aut spuria sunt neque ita digna, quorum porro memoria moveatur, aut agnoscantur necesse est pro genuinis: tum ex iis nonnulla colligi poterunt de primordiis Christianae religionis eiusque conditore. Quare operam perdere mihi non videor, si testimonia iam iterum atque iterum tractata denuo excutio, idque eo magis, quod, quaecumque adhuc dicta sunt ad hanc quaestionem spectantia, inveniuntur adeo dispersa et dissipata, ut non nullius momenti esse censeam argumentis doctorum virorum undique congestis cuncta quattuor deinceps testimonia in uno eodemque libello exa-

[1] Vide Joh. Weiß *Jesus von Nazareth, Mythus oder Geschichte*, Tuebingen 1910, 91.

minari. Adde, quod praeter cetera elocutionis veterum illorum scriptorum amplior ratio habeatur oportet quam adhuc factum est. Itaque optimo iure hoc ipso temporis momento K. Hoenn postulat, ut testimonia antiquissima ad Iesum Nazarenum spectantia coniecturis omnis generis omissis quam maxima diligentia ac subtilitate philologica spectentur, quatenus sint defendenda aut expungenda [1].

Age iam nos vertamus ad testimonia ipsa seorsum tractanda.

---

[1] *Lit. Centralblatt* 1912, 119.

Caput I

De Iosepho

Omnium vetustissimi Flavii Iosephi in Antiquitatum Iudaicarum libro XVIII 63 sq.[1] testimonium de Iesu Nazareno legitur. Codices, qui XVIII librum antiquitatum continent quique ad unum omnes iudicium illud amplectuntur, hi sunt[2]:

A Ambr. F 128 infra s. fere XI membr.;

M Med. plut. 69 cod. 10 s. fere XV chart.;

W Vat. gr. n. 984 membr. rescriptus a. 1354.

Praeter codices ipsos nonnullis locis etiam alii fontes adhibendi erunt, nempe hi:

E h. e. epitoma antiquitatum, cuius maxime est adhibendus cod. Busbekianus, qui invenitur in bibliotheca Caesarea Vindobonensi inter historicos Graecos no. 22; ad nonnullos locos sanandos praeterea consulendus est cod. Laur. plut. 69 cod. 23;

Lat. h. e. versio Latina, v. Nieseanae editionis praef. vol. I p. XXVII sqq. et p. LIX sqq.;

Zonarae chron. I 478, qui illam epitomam adhibuit[3];

Exc. h. e. Excerpta, quae ex Iosepho Constantinus Porphyrogenitus in titulos de virtutibus et vitiis et de legationibus recepit[4] quorumque hodie adeuntur praecipue Excerpta codicis Peiresciani nunc Turonensis et codicis Ursiniani nunc Vaticani gr. 1418[5];

---

[1] Usus sum editione maiore Niesii vol. I Berolini 1887, II 1885, III 1892, IV 1890. Testimonium invenitur vol. IV 151 sq.

[2] Vide Niese praef. vol. IV p. III sq.

[3] K. Krumbacher *Gesch. byz. Lit.*[2] 372. 370 sq.

[4] Vide Niese praef. vol. I p. XXIX. LXI sq., III p. XLII.

[5] Vide Niese praef. vol. III p. XIV.

Suidas s. v. *Ἰώσηπος*;

Eusebius hist. eccl. I 11, dem. euang. III 5, 105.

B h. e. Belli Iudaïci nonnulli codd., qui idem illud testimonium continent: M [1], V [2], Rost. [3], T [4], Neapolitanus [5], Coislinianus [6].

Iam sequantur verba, quae hodie ant. Iud. XVIII 63 sq. leguntur:

Γίνεται δὲ [7] *κατὰ τοῦτον* [8] *τὸν χρόνον Ἰησοῦς* [9], *σοφὸς ἀνήρ, εἴγε αὐτὸν ἄνδρα λέγειν χρή* [10]. *Ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων* [11], *καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους* [12], *πολλοὺς δὲ καὶ* [13] *τοῦ* [14] *Ἑλληνικοῦ* [15] *ἐπηγάγετο. Ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. Καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν* [16] *σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου οὐκ* [17] *ἐπαύσαντο* [18] *οἱ τὸ* [19] *πρῶτον* [20] *ἀγαπήσαντες. Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων* [21] *ἡμέραν πάλιν ζῶν τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε* [22] *καὶ ἄλλα μυρία περὶ αὐτοῦ θαυμάσια* [23] *εἰρηκότων. Εἰς ἔτι τε* [24] *νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε* [25] *ὠνομασμένων* [26] *οὐκ ἐπέλιπε* [27] *τὸ φῦλον.*

Ex quo Hubertus Gifanius et Lucas Osiander saeculo XVI *τὴν αὐθεντίαν* Flaviani testimonii in dubium vocaverunt, usque

---

[1] Vide Niese vol. VI p. VII. XXXI. LXX. [2] Ib. p. IX. XXXVI. LXXI.
[3] Ib. p. XVII. XLIX. LXXI. [4] Ib. p. XVII. XLII. LXXI.
[5] Ib. p. XIV. [6] Ib. p. XVII. [7] *δὴ* E.

[8] *κατ' ἐκεῖνον* Eus. dem. [9] *Ἰησοῦς τις* Eusebii praep. codd. quidam.

[10] *χρὴ ἄνδρα αὐτὸν λέγειν* transposuerunt Exc., *αὐτὸν λέγειν* transposuit B.

[11] *τἀληθῆ σεβομένων* Eus. dem., *ἡδονῇ σὺν* suprascr. M 2.

[12] *τῶν Ἰουδαίων* B Eus. praep., *iudeorum* Lat., *τοῦ Ἰουδαϊκοῦ* Eus. dem. [13] *καὶ* om. Exc.

[14] *ἀπὸ τοῦ* B Eus. praep. et fortasse versionis Latinae propositum, in qua *ex gentibus*. [15] *τοῦ Ἑλληνικοῦ* ex *τοὺς Ἕλληνικοὺς* corr. A.

[16] *τῶν παρ' ἡμῖν ἀρχόντων* Eus. dem.

[17] Ante *οὐκ* i. marg. *σεβάζειν* add. M 2.

[18] *ἐξεπαύσαντο* Eus. praep. codd. plurimi. [19] *γε* W Exc.

[20] *πρῶτον αὐτὸν* M E. [21] *ἔχων* om. Eus. dem.

[22] *τε* om. W Exc. [23] *θαυμάσια περὶ αὐτοῦ* om. Eus. dem.

[24] *Εἰς ἔτι τε* E B Eus. praep., *εἴς τε* A W Exc., *εἰσέτι καὶ, σέτι* i. ras. m. 2, *τὲ* suprascr. M 2, *ὅθεν εἰσέτι* Eus. dem.

[25] *ἀπὸ τοῦδε τῶν Χριστιανῶν* transposuit Eus. dem., *τῶν, ὧν* i. ras. corr. A.

[26] *ὠνομασμένων* M 2 E Exc. B Eus. praep., om. Eus. dem., *ὠνομασμένον* corr. Niese. [27] *ἐπέλειπε* Exc.

ad hos dies docti viri inter se dissentiunt, an illud genuinum sit necne [1]. Alii Iosephum facere nequisse iudicant, quin Iesum eiusque sectam commemoraret [2], alii hoc omnino denegant [3]. Sunt denique, qui testimonium, quale hodie exstat, pro interpolato habeant ac tamen illo loco Flavium quaedam de Iesu dicere debuisse contendant [4].

Cui quaestioni ut respondeamus, primum codices Iosephi opera maximeque librum XVIII continentes et scriptores, qui de eius super Iesu iudicio vel obiter vel fusius locuti sunt, consulam quidque inde de auctoritate loci tractandi colligamus, componam. Omnium quidem codicum, quos ex uno eodemque archetypo derivatos esse satis constat [5], nullus est integer conservatus; sed cuncti sunt plus vel minus mutati et corrupti interpolative, ut multifariam vix quidquam coniciendo proficere possimus [6]. Tamen universorum codicum consensu fidem testimonii stabiliri fortasse putes, ac revera permulti docti viri ex eo, quod ii codices, qui librum XVIII adhuc ab interitu servaverunt, ad unum omnes testimonium illud exhibent, argumentum ducunt de eius vetustate atque auctoritate [7]. Sed quamvis in aliis locis veterum scriptorum perscrutandis multum intersit, utrum codices inter se consentiant necne, hic eorum consensus nullius est momenti. Nam iamdudum huic ratiocinationi est oppositum codicum nobis traditorum archetypum ea aetate esse transscriptum, qua Graecia et Asia a Christianis occupata

---

[1] Conspectum gravissimorum librorum huc referendorum invenies apud E. Schuerer *Geschichte des jüd. Volkes* I [3] 544 sq.

[2] C. F. Boehmert *Über des Flav. Jos. Zeugnis von Christo*, Leipz. 1823, Jos. Langen in *Theol. Quartalschr.* 1865, 50 sqq., C. A. Kneller *Flav. Jos. üb. Jes. Chr.* in *Stimmen aus Maria Laach* 53, 1897, 1—19, 161—174 aliique.

[3] Unum pro omnibus hoc loco nomino B. Niese, De testimonio Christiano quod est apud Iosephum ant. Iud. XVIII 63 sq. disputatio (Marburgi, Index lectionum hibern. 1893/94).

[4] Hoc sentit A. v. Gutschmid, opusc. IV 352—354, Th. Reinach *Ioséphe sur Iésus* in *Rev. des ét. juives* XXXV 1897, 1—18.

[5] Vide Niese praef. vol. I p. XXIII. XXXI.

[6] Vide Niese vol. I praef. p. LXIX sq.

[7] K. Wieseler *Des Josephus Zeugnis über Christus und Jakobus, den Bruder des Herrn*, in *Jb für deutsch. Theolog.* 1878, 86 sq.; G. A. Müller *Christus bei Josephus* 1895, 17. Plura nomina invenies apud Schuererum *Geschichte des jüd. Volkes* I [3] 544.

tenebatur[1]. Iam vero Christiani inde ex priscis temporibus[2] Iosephum studiosius legere[3] ac transscribere coeperunt neque unquam dubitaverunt suo consilio in gloriam dei et ecclesiae textum mutare et interpolare[4] maximeque scriptores ecclesiastici ipsi, a quibus Flavii libri imprimis tractari solebant, Iudaeo auctori haud raro sententias supposuerunt non illo dignas. Cuius rei exemplum mihi liceat afferre, quo ostendatur, quousque libertatis illi processerint. Hieronymus in epistula Paulae et Eutocii ad Marcellam ab ipso dictata haec dicit[5]: 'denique etiam Iosephum, qui vernaculus scriptor est Iudaeorum, asserere illo tempore, quo crucifixus est dominus, ex adytis templi virtutum coelestium erupisse voces dicentium: transmigremus ex his sedibus.' Alii scriptores magna cum voluptate affirmant Iosephum cognovisse inde ab eo tempore, quo Iesus esset defunctus, Iudaeos a calamitatibus non respirasse[6].

Iam accuratius scriptores ecclesiasticos Iosephi mentionem facientes consulamus, quid inde de fide testimonii colligere possimus. Ii quidem, qui verba de Iesu in ant. Iud. l. XVIII 63 sq. exstantia esse spuria iudicant, hoc mirantur, quod ante Eusebium neque Iustinus neque Origenes testimonium Flavianum in subsidium vocaverint. Hanc autem sententiam adversarii oppugnant, quorum C. F. Boehmert[7] Iustino opus fuisse negat testimonium Iosephi afferre, quippe qui fuerit recentior auctor, quam quo Iustinus suo iure niteretur[8]. Sed mihi suspicioni est non tam hoc, quod Iustinus, quam quod ceteri

---

[1] H. C. A. Eichstädt, Flaviani de Iesu Christo testimonii *αὐθεντία*, quo iure nuper defensa sit, quaestio I, Jenae 1813 V.

[2] E. Schuerer l. l. 94.

[3] K. Wachsmuth *Einleitung in das Studium der alten Geschichte* 237.

[4] Niese vol. I praef. p. VI sq. XXX. Vide V. Ussani, Quaestiones Flavianae, *Rivista di filologia* 1911, 390 sqq.; 406–408.

[5] Hieronymi opera ed. Vallarsi, Venetiis 1766 vol. I 202.

[6] Joannes Malalas (vixit saec. VI) in chron. X 319, h. e. 247 editionis Bonnensis, Bonnae 1831.

[7] *Über des Flav. Jos. Zeugnis von Christo* 191.

[8] L. l. 193. Iosephus mortuus est haud multo post Domitiani exitum a. 96; vide Staehlinium apud Christ-Schmid *Gesch. griech. Lit.* II 1[5], 449. Iustinus de vita cessit a. 166.

praeter Origenem omnes scriptores saeculi secundi et tertii et quarti ante Eusebium, quamquam auctoris Iudaei libros nominant, tamen eius de Christo iudicium silentio praetereunt. Atque iam quaeritur, num Origenes revera Flavianum aliquod testimonium noverit, qui quidem tribus locis, si minus de testimonio ipso, quod legitur in antiquitatibus, agit, at certe de Iosephi in Christum dominum impietate valde queritur. In commentariis ad Matthaeum X c. 17[1] haec ait: *Ἐπὶ τοσοῦτον δὲ διέλαμψε οὗτος ὁ Ἰάκωβος ἐν τῷ λαῷ ἐπὶ δικαιοσύνῃ, ὡς Φλάβιον Ἰώσηπον ἀναγράψαντα ἐν εἴκοσι βιβλίοις τὴν Ἰουδαϊκὴν ἀρχαιολογίαν τὴν αἰτίαν παραστῆσαι βουλόμενον τοῦ τοιαῦτα πεπονθέναι τὸν λαόν, ὡς καὶ τὸν ναὸν κατασκαφῆναι, εἰρηκέναι κατὰ τὴν μῆνιν Θεοῦ ταῦτα αὐτοῖς ἀπηντηκέναι, διὰ τὰ εἰς Ἰάκωβον, τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ, τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ὑπὸ τούτων τετολμημένα. Καὶ τὸ θαυμαστόν ἐστιν, ὅτι τὸν Ἰησοῦν ἡμῶν οὐ καταδεξάμενος εἶναι Χριστόν οὐδὲν ἧττον Ἰακώβῳ δικαιοσύνην ἐμαρτύρησε τοσαύτην. Λέγει δὲ ὅτι καὶ ὁ λαὸς ταῦτα ἐνόμιζε διὰ τὸν Ἰάκωβον πεπονθέναι.* Contr. Cels. II 13[2]: *οὗ* (sc. *Οὐεσπασιανοῦ*) *υἱὸς Τίτος καθεῖλε τὴν Ἱερουσαλήμ. Ὡς μὲν Ἰώσηπος γράφει διὰ Ἰάκωβον τὸν δίκαιον, τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ*[3]. *Ὡς δὲ ἀλήθεια παρίστησι, διὰ Ἰησοῦν τὸν Χριστόν, τὸν υἱὸν Θεοῦ.* Contr. Cels. I 47[4]: *Ἐν γὰρ τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας ὁ Ἰώσηπος μαρτυρεῖ τῷ Ἰωάννῃ ὡς Βαπτιστῇ γεγενημένῳ καὶ καθάρσιον τοῖς βαπτισαμένοις ἐπαγγελλομένῳ*[5]. *Ὁ δ'αὐτὸς καίτοι γε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ ζητῶν τὴν αἰτίαν τῆς Ἱεροσολυμάτων πτώσεως καὶ τῆς τοῦ ναοῦ καθαιρέσεως· δέον δ'αὐτὸν εἰπεῖν, ὅτι ἡ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ ἐπιβουλὴ τούτων αἰτία γέγονε τῷ λαῷ, ἐπεὶ ἀπέκτεινον τὸν προφητευόμενον Χριστόν· ὁ δὲ καὶ ὥσπερ ἄκων οὐ μακρὰν τῆς ἀληθείας γενόμενός φησι ταῦτα συμβεβηκέναι τοῖς Ἰουδαίοις κατ'*

---

[1] Ed. Lommatzsch III 46. Haec verba Origenis spectant ad Matth. 13, 55, ubi Iudaei Iesu sapientiam et facta admirati inter sese interrogant: *οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; οὐχ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαρίαμ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωσὴφ καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας;*

[2] Ed. Lommatzsch XVIII 161.

[3] Verba *τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ* exstant apud Iosephum ant. Iud. XX 200.

[4] Ed. Lommatzsch XVIII 87.

[5] Iosephi verba de Ioanne Baptista inveniuntur ant. XVIII 116 sqq.

ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα ἀπέκτειναν[1].

Singulae Origenis sententiae haec fere docent: homines vere Christiani perfacile cognoscent veram causam Iudaeorum gentis calamitatis interitusque urbis Hierosolymorum; id evenit, quia Iudaei Iesum, dei filium, cruci affixerunt; sed Iosephus, qui Christianus non erat, aliam quaesivit causam excidii, atque quamvis Iesum pro Christo non agnosceret, tamen veritati quam proxime appropinquavit ratus morte, non quidem Christi ipsius, attamen certe eius fratris Iacobi esse factum, ut Hierosolyma conciderent templumque everteretur.

G. A. Mueller una cum iis, qui testimonium vel omnino vel ex parte servare student, ex verbis contr. Cels. I 47: *Καίτοι γε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ* et comment. ad Matth. X 7 *οὐ καταδεξάμενος εἶναι Χριστὸν* colligit[2] scriptorem ecclesiasticum ita de auctore antiquitatum iudicare non potuisse, nisi plura de Iesu in Iosephi libris legisset, unde eam de illius impietate ferret sententiam ac scriberet *ἀπιστῶν*[3]; ergo Iosephum de Christo non siluisse; apparere autem Origeni non suffecisse verba ant. Iud. XX 200 *τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ*, neque enim ecclesiasticum profiteri Iudaeum scriptorem omnino de Nazareno magistro tacuisse, sed potius id tantum vituperare, quod ille Iesum eo loco praeterisset silentio, ubi aliquid de eius obitu desiderares[4]; quare probabile videri in illo testimonio ant. XVIII 63 sq. olim, quamvis Iosephus etiam in Christum iustus esse studeret, tamen satis perspicue eius in Iesum tamquam odium perluxisse[5].

Origenes quidem, si omnino quid testimonii de Iesu in antiquitatibus noverit, alia atque nos verba illo loco quin

---

[1] Additque paulo infra I 47: *Εἴπερ οὖν διὰ Ἰάκωβον συμβεβηκέναι λέγει τοῖς Ἰουδαίοις τὰ κατὰ τὴν ἐρήμωσιν τῆς Ἱερουσαλήμ, πῶς οὐχὶ εὐλογώτερον διὰ Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τοῦτο φάσκειν γεγονέναι;* sed ea, quam respicit, sententia Iosephi in nullo codicum legitur, qui servati sunt. Cf. ant. XX 200: *Ἄνανος ... καθίζει συνέδριον κριτῶν καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους ... παρέδωκε λευσθησομένους.* De hoc loco in fine huius capitis acturus sum.

[2] L. l. 10, 6 adn. 1.

[3] Vide G. Volkmar *Jesus Nazarenus*, Zürich 1882, 339.

[4] G. A. Müller l. l. 44. [5] Ibid. 45.

legerit, praeter dubium est. Namque si revera tale aliquid scriptum vidisset quale *εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή* vel *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν* ceteraque similia, certo ne diceret *ἀπιστῶν* cavisset. Attamen ne hoc quidem putarim eum novisse testimonium Iosephi Christo adversum; etenim apologeticus, si tale super Iesu iudicium Flavii in libris antiquitatum legisset, procul dubio et vehementius in illum processurus fuisset neque laeto quodam animo scripturus *οὐ μακρὰν τῆς ἀληθείας γενόμενος* (contr. Cels. I 47). Quod porro G. A. Mueller verba in ant. XX 200 non satis fuisse ampla sentit, ex quibus Origenes sibi iudicium faceret de Iudaeo auctore, errat. Nam ex eo, quod in ant. XX 200 et contr. Cels. II 13 adque Matth. comment. X 7 eadem verba *τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ* [1] exstant eodemque insuper verborum ordine servato, liquido apparet mea sententia Origenem profecto cogitasse de loco illo ant. XX 200. Nam Iosephi voce ipsa *λεγομένου* facile eo deduci potuit, ut *ἀπιστῶν* scriberet. Sed alterum quoddam etiam manifestius demonstrat Origeni nequaquam promptum fuisse testimonium ipsum, unde sententiam ferre posset de Iosephi super Christo iudicio; nam nullo loco praeter X 7 commentariorum suorum ad Matthaeum Flavianae de Iesu opinionis mentionem facit atque insuper hoc ipso loco, ubi euangelista loquitur non tam de Iacobo quam de Iesu [2], Iosephi testimonium de Iacobo planius agitat, eiusdem in Christum impietatem paucissimis dumtaxat verbis perstringit; etiam e locis contra Cels. I 47, II 13 cognosci potest ecclesiasticum cogitasse nonnisi de Flavii super Iacobo testimonio. Inde iam sequitur, ut sumamus Origenem nullo illorum trium locorum, quid Iosephus de Christianorum auctore sentiret, pronuntiaturum fuisse, nisi ei occasio fuisset Iacobi commemorandi. Sed iure quaerendum est, qua de causa is Flavianum de Iacobo iudicium ter ipsis verbis attulerit [3], nusquam de Iesu Nazareno fratre multo clariore, si testimonium revera tunc exstabat. Itaque minime licet ex illis locis contr. Cels. I 47. II 13, ad Matth.

---

[1] Cf. etiam contr. Cels. I 47: *Ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ.* [2] Vide supra 7.

[3] De Iosephi super Iacobo testimonio vide infra 30 sq.

comment. X 17 colligere Origenem in Iosephi libris testimonium de Iesu legisse sive illi benevolum sive infestum: quare dicendum est eius temporibus codices exstitisse, in quibus testimonium quod hodie habemus, non inveniebatur.

Primum omnium scriptorum ecclesiasticorum Eusebium, qui vixit 265—340, testimonii Flaviani super Nazareno magistro verbis ipsis allatis mentionem movisse satis constat, in quo eum cuncti fere, qui post eius aetatem vixerunt, auctores sunt secuti. Eius textus praeter nonnullas leves variationes ad verbum congruit cum Flaviano, qualis hodie legitur [1].

Quodque Origenes Iosephi impietatem queritur, Eusebius testimonio illo allato auctorem antiquitatum summis laudibus effert, inde sequitur, ut Origenes testimonium, quod nunc exstat ant. XVIII 63 sq., nondum legerit et aut eius codex fuerit mutilatus aut alii codices postea sint interpolati. Et demonstrare videtur quiddam etiam post Eusebium codices fuisse testimonio carentes. Nam Ioannes Chrysostomus, qui mortuus est a. 407, illud novisse non videtur, cum in homiliis ad Ioannem 12 Flavianum super Ioanne iudicium commemoret nec tamen mentionem faciat Iosephi de Iesu sententiae [2]. Sed maioris est momenti, quod ex Photii bibliotheca colligere possumus. Is enim, qui de vita cessit a. 891 quique in breviario etiam Iosephi opera excerpsit et aperte fatetur se singulos libros legisse [3], non tamen testimonium de Iesu Nazareno affert ex Iosephi antiquitatibus. Ac scio quidem e silentio nihil concludere licere; sed hic ab ea lege discedendum esse arbitror: Photium enim profecto de Iesu sententiam nusquam antiquitatum Iudaicarum invenisse comperimus e cod. 48, ubi pronuntiat se Iosephi libellum *περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας* legisse: *περὶ μέντοι τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἡμῖν ὡς ἔγγιστα θεολογεῖ, κλῆσίν τε αὐτὴν ἀναφθεγγόμενος, καὶ τῶν ἐκ πατρὸς ἄφραστον γέννησιν ἀμέμπτως ἀναγράφων*, pergitque *ὅ τινας ἴσως καὶ*

---

[1] Vide supra 4 apparatum criticum; Eusebium demonst. ev. III 5; hist. eccl. I 11.

[2] Vide J. C. L. Gieseler *Lehrbuch der Kirchengeschichte* I 1, 83.

[3] Codd. 33. 47. 48. 76. 238 ed. Bekker. Exemplum praebeo cod. 76: *Ἀνεγνώσθη Φλαβίου Ἰωσήπου Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας ἐν λόγοις κ'*. Photius est scriptor diligens ac fide dignus. Vide K. Krumbacher l. l. 518.

ἀμφιδοξεῖν, ὡς Ἰωσήπου εἴη τὸ συνταγμάτιον, ἀναπείσειν. Οὐδὲν δὲ τὸ τῆς φράσεως αὐτῷ πρὸς τὰ ὑπόλοιπα τοῦ ἀνδρὸς ἀποδεῖ. Εὗρον δὲ ἐν παραγραφαῖς ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ λόγος Ἰωσήπου, ἀλλὰ Γαΐου τινὸς πρεσβυτέρου κτλ. Et paulo infra hunc libellum ab aliis tribui dicit Iustino vel Irenaeo[1]. Photium, licet tot libris perlectis perpaucas tantummodo rerum in Iosephi antiquitatibus Iudaicis innumerabilium exstantium memoria amplexus sit, tamen sumamus Flaviani de Iesu iudicii memoriam retinuisse ita, ut ipse omnem dubitationem de libello illo tollere posset[2]. At hic quispiam dixerit in libro *περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας* agi de Iesu ut dei filio, quae de Christo sententia minime in Iosephi quod dicitur testimonio inveniatur. Sane quidem; tamen eo potius quaerimus, curnam Photius non disseruerit, quatenus iudicium de Iesu in tractatione illa dubia prolatum cum Iosephi testimonio, si modo exstaret, conveniret neque, si sententia Flaviana Iesu esset adversa, tale aliquid saltem dixerit quale Origenes *ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ*, qui haec pronuntiat, quamquam testimonium ipsum Iosephi, ut supra vidimus, novisse non videtur. Quare verisimile est in eo quoque codice, qui Photio erat promptus, testimonium omnino defuisse. Itaque concedendum est etiam IX saeculo codices inveniri potuisse, qui omni testimonio de Christo carebant.

His explicatis cognoscimus nobis quidem eos tantum codices esse conservatos, qui manu Christianorum hominum sunt transscripti et exhibent testimonium Iesu eiusque religioni benevolum scriptoribus ecclesiasticis post Eusebium cunctis fere de hac Flaviana super Iesu sententia consentientibus, sed usque ad IX saeculum, quantum perspicimus, codices exstitisse videri, in quibus nullum de Christo Iosephi iudicii vestigium inveniebatur.

Deinde iam quaeramus, Iosephusne Iesum laudibus extulisse an omnino silentio praeterisse sit putandus. Primum

---

[1] Libellus est Hippolyti Romani; vide Staehlinium apud Christ-Schmid *Gesch. gr. Lit.* II 1[5], 454; E. Schuerer l. l. I[3] 90 sq.

[2] Vide H. C. A. Eichstädt l. l. IX; E. Gerlach *Die Weissagungen des A. T. in den Schriften des Flavius Josephus und das angebliche Zeugnis von Christo*, Berl. 1863, 107.

fortasse prodest explicare, quo consilio Flavius antiquitates composuerit. Ipse confitetur hoc opus se conscripsisse ad suam gentem ab opprobriis falsisque criminibus defendendam[1]. Quapropter turpia quaedam praescriptione honestiore texit, nonnulla vero consulto omisit[2], cuius rei duo exempla allaturus sum. Ant. VI 201. 203 in locum praeputiorum illorum, quo pretio David filiam Sauli sibi in matrimonium dari concupiscit[3], centum capita hominum substituit[4]. Altero loco ant. III 95 narrat Iudaeos sollicitos et anxios fuisse, quia Moyses a Sinaio monte non descenderet; sed silentio praeterit, id quod in Vetere Testamento traditur (II Mos. 32), eos tum a deo Iehova abalienatos vitulam auro effictam adoravisse ut deum, nimirum cum praeter cetera etiam hoc demonstrare vellet Iudaeos ex antiquissimis temporibus unum eundemque omnipotentem colere non desiisse[5]. Quare in marginibus nonnullorum codicum a veteribus librariis scriptum legitur: *Παραλείπεις, Ἰώσηπε, τὴν μοσχοποιίαν αἰδοῖ τῶν προγόνων*[6]. Iosephus igitur suo promisso non stetit: *Τοῦτο γὰρ διὰ ταύτης ποιήσειν τῆς πραγματείας ἐπηγγειλάμην οὐδὲν προσθεὶς οὐδ' αὖ παραλιπών*[7].

Iam porro in hoc inquiramus, Iosephone causae fuerint Iesu Nazareni commemorandi. Multae rationes a doctis viris congestae sunt perquam diversae ad sententiam alteramutram fulciendam. Nonnulli enim nituntur Christianorum mentionem facere Iosephum decuisse propterea, quod ea secta illis temporibus nimis propagata fuisset per orbem, quam de qua auctor antiquitatum silere posset[8]; praeterea inter Graecos et Romanos tunc satis constitisse Christianos esse profectos ex Iudaeis[9]. Sed huic opinioni sunt complura obicienda. Inter

[1] Ant. I 5 sq. 15; XVI 175 sqq.

[2] K. Wachsmuth l. l. 441; Schuerer l. l. 93 sq.; P. Wendland *Einleitung in die Altertumswissenschaft* I Berlin 1910, 384.

[3] I reg. 18, 25.

[4] B. Niese *Der jüdische Historiker Flavius Josephus* in *Hist. Zeitschr.* LXXVI 1896, 216, 2.

[5] Ant. I 18 sqq.

[6] Vide B. Niese l. l. 223.

[7] Ant. I 47. Vide K. Wachsmuth l. l. 441. E. Hertlein *Der Daniel der Römerzeit* 1908, 82 demonstrat Iosephum de Danielo omnino tacere.

[8] Vide G. A. Müller l. l. 30. 42; J. C. L. Gieseler l. l. 83, 1.

[9] K. Wieseler l. l. 91.

omnes id quidem constabat Christianos omnibus nationibus perosos originem habere ex Iudaeis eoque maiore contemptu esse dignos, quia inter gentes sordidas habebantur eorumque longe plurima pars evaserant ex ordinibus humilioribus, quod idem Iudaeis nusquam antiquitatis ab ethnicis maximeque eruditis desinebatur opprobrio dari [1]. Hoc autem procul dubio Iosephum non paulum piguit neque fieri potuit, quin odium ethnicorum in suam gentem augeret, si Christianos commemorasset [2], ut quos ex Iudaeorum natione evasisse denegare non posset. Quare non mirandum est eum nequaquam occasionem arripuisse Christianae sectae appellandae haud raro oblatam. Tacet igitur de eorum schola Hierosolymitana tunc satis numerosa, quamvis ipse de rebus illic gestis haud dubie edoctus fuerit, quoniam erat Pharisaeorum sectae, cui maxime Iesu discipuli fuerant suspicioni atque odio [3], tacet de Christianis Romae versantibus. Eamque ob rem consulto etiam Iudaeorum spem Messiam venturum ad libertatem vindicandam ne commemoret, prope omnino cavet, quamvis praeter cetera hac ipsa spe Iudaei adducti essent, ut contra Romanos coorirentur [4].

Neque res commutatur, si de iis viris cogitamus, qui in euangeliis artissime cum Iesu coniunguntur. Nam sunt, qui censeant Iosephum, cum Iacobum et Ioannem baptistam laudibus efferre non dubitaverit, vix de Iesu Nazareno, qui baptistam secutus multo clarior illo fuerit, silere potuisse [5]; quin

[1] Vide Tac. hist. V 5. 8. 9; Sen. apud August. civ. Dei VI 11: 'sceleratissima gens'; Iuvenal. sat. 3, 13 sqq.; 6, 542 sq.; 14, 98 sqq., vide L. Friedländer *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms* IV[8] Leipzig 1910, 243 sqq.

[2] Illas tres sectas Iudaeorum, dico Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum permutavit in philosophorum scholas, scilicet ut ethnicis sub eo nomine minus periculosae apparerent; ant. Iud. XVIII 11. 12—22. Vide E. Schuerer l. l. I[3] 548. Christianos fingere ut scholam philosophorum illis temporibus non licebat, quoniam ut sectatores infesti ubique rei publicae summas difficultates parabant.

[3] Vide F. Asmussen *Josephus und das Christentum* in *Deutsch. evang. Blättern* X 1896, 187; Ios. vita § 12 *ἐννεακαιδέκατον δ' ἔτος ἔχων ἠρξάμην τε πολιτεύεσθαι τῇ Φαρισαίων αἱρέσει κατακολουθῶν.*

[4] Vide E. Schuerer l. l. I[3] 94. 548.

[5] J. C. L. Gieseler l. l. 83, 1; Theodor Reinach *Josèphe sur Jésus* in *Rev. des ét. juives* XXXV 1897, 5; G. A. Müller l. l. 18; C. Fr. Boehmert l. l. 134 sq.; K. Wieseler l. l. 91.

etiam sumi non posse Flavium fuisse tam neglegentem, ut Iesum cum Ioanne quam firmissimo vinculo cohaerentem eundemque novae sectae auctorem silentio praeteriret [1]. Sed ea ratiocinatio claudicat. Namque si subtilius animo reputamus, qualem Iosephus effinxerit Ioannem, nos fallere nequit baptistam in ant. Iud. XVIII 116—119 se praebere alium atque in euangeliis [2]. Secundum antiquitates enim baptisma nihil aliud est nisi *ἁγνεία σώματος* animo iam ad pietatem purgato. Apertis verbis Iosephus baptisma esse negat *ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων* [3]. Ipse opinatur baptistam homines esse adhortatum, ut corpora multifariam contaminata per baptismum redderent digna animis conversis in *ἀρετήν, δικαιοσύνην, εὐσέβειαν* [4]. Sed aliter baptisma explanatur in euangeliis [5]. Matth. 3, 2 leguntur verba: *Μετανοεῖτε· ἤγγικεν γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς διὰ Ἡσαΐου, τοῦ προφήτου λέγοντος* . . . v. 8: *Ποιήσατε οὖν καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας* [6]. Etiam auctor actorum baptismum Ioannis nuncupat *βάπτισμα μετανοίας* [7] in eo Paulum secutus, qui dicit: *Ἰωάννης ἐβάπτισεν βάπτισμα μετανοίας τῷ λαῷ λέγων εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτόν, ἵνα πιστεύωσιν, τοῦτ' ἔστιν εἰς τὸν Ἰησοῦν* [8]. Iam cognoscemus animi purgationem euangeliorum esse aliam, aliam Iosephi. Nonnulli quidem docti viri, quorum nomino S. A. Naber (*Mnemosyne*, nov. ser. vol. III

---

[1] G. A. Müller l. l. 20.

[2] Vide A. Klöpper *Ein paar Bemerkungen zu dem Urteil des Josephus über Johannes den Täufer* in *Zs. für wissenschaftl. Theol.* XXVIII 1885, 4sqq.

[3] Ant. XVIII 117: *οὕτω γὰρ δὴ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ* (sc. *Θεῷ*) *φανεῖσθαι μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείας τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης.*

[4] Ant. XVIII 116: *Κτείνει γὰρ δὴ τοῦτον* (sc. *Ἰωάννην*) *Ἡρώδης ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦσιν καὶ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ καὶ πρὸς Θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένοις βαπτισμῷ συνιέναι.* Quod Iosephus in interpretatione baptismatis valde ab euangeliis abhorret, declarandum est ex eius mente et cogitatione.

[5] Vide A. Klöpper l. l. 8.

[6] Vide Luc. 3, 8; Marc. 1, 14: *Ὁ Ἰησοῦς . . . κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ καὶ λέγων, ὅτι πεπλήρωται καιρὸς καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.*

[7] Act. 13, 24. [8] Ib. 19, 4.

Lugd. Bat. 1885, 281) Iosephum verba *μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει* consulto opposuisse censent euangeliorum sententiae *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*[1], cui opinioni non assentiar, cum ei nonnullae rationes obstent a d. v. W. Brandt inventae[2]. Primum enim fieri potuit, ut verba illa *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* in textum euangeliorum, postquam conscripta sunt, ab interpolatore immitterentur, quippe quae in Marci et Lucae tantum euangeliis legantur atque etiam in Pauli doctrina desiderentur. Deinde Iosephum, ut hanc de baptismo sententiam Christianorum cognoverit, verbis tam concisis rem illam tangere atque etiam simul reicere potuisse negandum est, praesertim cum libros suos praecipue a Romanis et Graecis lectum iri sciret velletque omnino doctrinae illius de baptismate Christianorum imperitis. Denique notio Iosephi *ἁμαρτάδων* voce *τινων* angustior facta est ac *τινων* Latine vertendum in quarundam; quare hoc loco Flavii, ubi agitur de Ioannis baptismo, minime cogitare licet de doctrina Christianorum, quam secundum cuncta utique peccata baptismate aboleri possunt. Inde igitur sumemus antiquitatum auctorem verba *μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει* ad hoc tantum posuisse, ut distincte diceret Iudaei Ioannis baptisma nihil aliud esse nisi simplicem corporis purgationem animo quidem ante in pietatem converso, exercitatam etiam Romanis et Graecis, quibus suum populum eum quoque in modum commendari concupiscebat. At cum Novi foederis auctores docere non desinant homines neutiquam adiuvari, nisi fidem praestent in Iesum venturum, qui futurus sit salvator hominum, hoc Flavius omnino reticet, quamquam ipse ut Pharisaeorum sectator (vide supra 13) de Christianorum sententiis satis edoctus fuisse debet. Ita intellegimus eum de baptismate Ioannis cogitasse in modum hominum vere Iudaeorum velut Philonis, qui et ipse purgationem corporis animique novit (De plantatione Noë 237 ed. Mangey I 354): *σώματα καὶ ψυχὰς καθηράμενοι, τὰ*

[1] Marc. 1, 4; Luc. 3, 3.

[2] W. Brandt *Die jüdischen Baptismen oder das religiöse Waschen und Baden im Judentum mit Einschluß des Judenchristentums; Beihefte zur Zs. f. d. alttestamentl. Wissenschaft* XVIII Gießen 1910, 70. 145. 80. 87.

μὲν λουτροῖς, τὰ δὲ νόμων καὶ παιδείας ὀρθῆς ῥεύμασι, ac nobis confitendum erit Ioannem in antiquitatibus Iosephi omnino a doctrina Christianorum seiunctum et ut Iudaeum vere hominem Iudaeis esse vindicatum [1]. Ita fit, ut valde in dubio versemur, num Iosephi propter Ioannem commemoratum interfuerit Iesu mentionem movere. Nec refert testimonium de Iacobo in subsidium vocare, quem Anani iussu lapidibus percussum non oportebat ethnicos celari [2]. Quin ne hoc quidem manifesto ab Iosepho narratur Iacobum fuisse Christianum sectatorem.

Cum igitur res ita se habeat, satis perspicue intellegimus Iosephum quacumque ratione cavisse, ne sectam Christianorum commemoraret, videlicet cum populum suum ethnicis commendari ac probari vellet.

Tertium denique argumentum affertur a compluribus ad ostendendum, cur Flavium decuerit Christianorum mentionem facere. Quidam enim sentiunt [3] eum familiaritate Vespasiani et Titi quodam modo coactum quamvis pauca de illa secta dicere, hoc quidem ideo, quia complures Flaviani generis tum indulsisse Iesu cultui probabile sit. G. A. Mueller vero huc usque processit, ut omnes fere cognatos Vespasiani Iesu cultui fuisse deditos contendat [4]. At hoc unum probabile ducere licet Flaviae Domitillae favorem inclinasse ad Christi religionem [5]. Sed ut nonnulli Flaviorum generis doctrina Christianorum esse imbuti potuerint, tamen intellegi non potest Iosephum ob eam rem sectae illius mentionem movere debuisse. Immo vero contrarium putarim. Iosepho nempe praecipue imperatorum favor erat cordi [6]; sed vix quispiam sumat Vespasianum vel

[1] Quod nonnulli contendunt (E. Gerlach l. l. 7—19, C. Fr. Böhmert l. l. 102 sqq. 108—110) Iosephum secutum esse non tam Pharisaeos quam Essenos, qui multis in rebus cum doctrina Iesu consensissent, Demmler (*Theol. Stud. aus Württemberg* I 1880, 123 sq.) explicavit Ioannem nullo modo cum illis sectatoribus cohaerere.

[2] Ant. XX 200.

[3] Vide C. Fr. Böhmert l. l. 129 sq.; G. A. Müller 29. [4] L. l. 24.

[5] Cassius Dio (h. e. epit. Xiphilinus) LXVII 14, 2, ed. Boissevain III 181. Quod ad ceteros Flavianos pertinet, de quibus G. A. Müller ut Christianis loquitur, inspicias Pauly-Wissowa *Realenc.* (quam encyclopaediam porro notabo litteris PWR), *Flavius* 166; *Flavius* 62; *Flavia Domitilla* 227 col. 2733 sqq.; ibi invenies etiam veterum scriptorum locos huc spectantes.

[6] Iosephus habitabat in Vespasiani domo accipiebatque mercedem

Titum superstitioni novae favisse; Domitianus vero per totam vitam cultui patrio fidem servavit ac magna severitate in eos animadvertit, qui priscos rei publicae deos offendere audebant [1]. Quare auctor Iudaeus caute non egisset, si eius sectae in suis libris meminisset [2].

Inde sequitur, ut Iosepho e plurimis rationibus potius causa fuerit de Christianis tacere quam loqui. Itaque etiam ex ea causa verisimile est testimonium de Iesu Nazareno, quale hodie exstat, spurium esse.

Porro mihi propositum est agere de serie rerum, quas in tertio capite libri XVIII Iosephus narrat. Refert enim Pilatum procuratorem Iudaeorum animos offendisse primum eo, quod contra consuetudinem priorum procuratorum statuas Caesaris in urbem Hierosolyma iusserat importari [3], deinde, quod ad ductum aquarum struendum opes templi sacras consumpserat [4]. Quam rem § 63 sq. sequitur testimonium de Iesu Nazareno. Protinus auctor antiquitatum postquam narrationem quidem praemisit de nobili quadam muliere Romana in Isidis templo stuprata [5], aggreditur explicare [6], quam in calamitatem Iudaei Romae versantes iisdem fere temporibus sub Tiberio imperante inciderint [7]. In sequenti capite IV certiores fimus de Pilato summa saevitia in Samaritanos provecto obque eam rem a Vitellio Romam misso, ut causam diceret.

Iam primo obtutu res ante testimonium de Iesu tractatas optime inter sese cohaerere cognoscimus, nempe hic agitur de duabus Iudaeorum seditionibus; quarum causa fuerat Pontius Pilatus, qui animos Iudaeorum pietate obstrictos laeserat. Ita duo exempla habemus Pilati in Iudaeos contemptus [8]. At in sequentibus paragraphis 63. 64, ubi mentio fit Iesu Nazareni, non commemoratur ulla calamitas Iudaeorum; etenim

annuam; vita § 423. Tito bellum Iudaicum proposuerat comprobandum; vide G. Karpeles *Geschichte der jüd. Lit.* I² 205.

[1] Suet. Dom. 8, 3 sqq.; Plin. ep. IV 11, 5 sqq.; Cassius Dio LXVII 14.

[2] Antiquitates in lucem prodierunt a. 93 vel 94 Domitiano imperitante. Vide Christ-Schmid *Gesch. gr. Lit.* II 1⁵, 453.

[3] §§ 55—59. [4] §§ 60—62. [5] §§ 65 fin.—80.

[6] § 65. [7] §§ 81—84.

[8] Ant. XVIII 55: *ἐπὶ καταλύσει τῶν νομίμων τῶν Ἰουδαϊκῶν ἐφρόνησε.*

in sententiis ad Christum respicientibus nihil investigare possumus seditionis sequentisque cladis Iudaeorum; nam Iosephus ipse mortem illius magistri habere non potuit pro incommodo suae gentis[1]. Itaque miremur, quo iure huic de Iesu testimonio res ab Iudaeis Romae gestae asserantur verbis ipsis *ἕτερόν τι δεινόν*, iamque vero multo artiorem invenias continuationem sententiarum, si testimonio expuncto enuntiatum § 65: *Καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἕτερόν τι δεινὸν ἐθορύβει τοὺς Ἰουδαίους* verbis introductum excipit finem paragraphi 62: *Καὶ οὕτω παύεται ἡ στάσις* (sc. orta propter opes templo demptas)[2], quae seditio profecto Iudaeis calamitatem gravem (*δεινόν*) attulerat, quia per vim erat suppressa. Tamen huic rei nimiam vim tribuere mihi non licere confiteor atque concedo Iosephum verbis paragraphi 65: *Καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους* trans paragraphos 63. 64 respicere potuisse ad antecedentes paragraphos 55—62, ubi mentio fit calamitatum illarum Pilati opera Iudaeis ingruentium, ita ut tamquam per excursum esset inserta orationi haec de Iesu narratio.

Sed hoc ciet suspicionem, quod Flavius, si testimonium germanum est putandum, Iesu Nazareni prius mentionem fecit quam eius antecursoris Ioannis[3]. Nam auctorem Iudaeum fugisse Ioannem esse praecursorem Iesu non sumemus, cum exploratum habeamus Pharisaeos praecipue, cuius sectae etiam

---

[1] Vide C. A. Kneller *Flavius Josephus über Jesus Christus* in *Stimmen aus Maria Laach* LIII 1897, 162.

[2] Vide H. C. A. Eichstädt l. l. in quaestione II p. IV; B. Niese, De testimonio Christiano, quod est apud Iosephum ant. Iud. XVIII 63 sq., disputatio, Progr. Marburg 1893, IV sq.

[3] Grave est, quod Alexander Petavius aliquo codice usus esse dicitur, in quo testimonium de Iesu coniunctum cum verbis de iudicio dei ex Pseudo-Iosephi libello *περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας* (Haverkamp II 2, 146 inde a verbis: *πάντες γὰρ δίκαιοι* ad p. 147 *παρανέμει*) excerptis exstabat in b. . II 9, ubi pariter atque in c. III antiquitatum libri XVIII duae seditiones illae Iudaeorum commemorantur. Revera hoc testimonium in illo belli Iudaici capite tenebat locum aptiorem quam antiquitatum ubi nunc legitur, quia positum est post Ioannis aetatem. Scholiasta ad verba illa de Iesu in b. I. adnotavit in margine: *ἰστέον ὅτι τὸ τοιοῦτον ὠβέλισται δικαίως παρ' ἡμῶν, ἐπεὶ μηδὲ ἐν ἑτέροις ἀντιγράφοις τοῦτο εὕρομεν.* Vide E. Gerlach l. l. 106.

Iosephus aliquantum temporis fuerat, de cunctis rebus ad Christum eiusque doctrinam spectantibus satis edoctos fuisse[1].

His coactis fieri non potest, quin in verbis *κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον* paulum offendamur. Patet igitur testimonio de Iesu Nazareno interposito seriem rerum quodam modo interrumpi.

Age iam transeamus ad testimonium ipsum excutiendum, in quo singula enuntiata seorsum tractaturus sum.

Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή.

Primum ipsum verbum *Γίνεται* est suspiciosum, cum hoc loco nullam aliam vim habere possit nisi *τοῦ ἀκμάζειν* similemve[2]. Iosephus *γίνεσθαι* persaepe usurpat in antiquitatibus et de rebus[3] et de personis, iuxta quas constructum cum aliqua praepositione habet vim veniendi[4] aut versandi[5]; coniunctum cum participio vel adiectivo vel nomine praedicativo et simpliciter positum nusquam abicit significationem Latini 'fieri, evadere, existere, nasci'[6]. Nullo autem loco antiquitatum Iosephus hoc verbum, ubicumque exstat solutum ac de personis dictum, posuit pro *ἀκμάζειν*[7]. Neque licet sumere *γίνε-*

---

[1] Vide supra 13 cum adnotatione 3.

[2] G. A. Müller l. l. 32 interpretari vult hanc formulam per 'oculos in se vertit, in publicum prodiit'.

[3] Ant. XVI 24 *εὐεργεσίαι*; 46 *ἀρχή*; 58 *ἀντικατάστασις*; XVIII 310 *συμφορά*; XX 118 *ἔχθρα*, passim.

[4] Ant. XVI 91: *ὡς δὲ ἀνῆλθεν εἰς τὴν Ῥώμην, ἐγένετο μὲν μέχρι τῆς Ἀκυληίας πόλεως Καίσαρι συντυχεῖν ἐπειγόμενος*; 336: *ὡς ἀνῆλθεν εἰς τὴν Ῥώμην καὶ περὶ τὴν αὐλὴν ἐγένετο.*

[5] Ant. XVI 132 *γενόμενος ἐν τῷ ἱερῷ*; 253 *ὡς ἐν ταῖς ἀνάγκαις ἐγένετο*; 283 *γενόμενος ἐπὶ τοῦ φρουρίου.*

[6] Ant. XVI 126: *ὡς μηδένα τῶν παρατυγχανόντων ἐλεύθερον ἢ δοῦλον ἀπαθῆ γενέσθαι*; 133 *τοὺς υἱοὺς . . . βασιλέας γενέσθαι*; 205 *χείρων ἀεὶ γινόμενος*; XVII 14 *γίνεται δὲ τῷ βασιλεῖ οὗτος* (sc. *παῖς*) *ἐκ τῆς τοῦ ἀρχιερέως θυγατρός*; vide XVIII 131. 132. 135.

[7] Contr. Apionem Iosephus quattuor locis *γεγονώς* participium posuit vi *ἀκμάζειν* indita: I 21. 280. II 14. 154 ed. Niese; vide E. Rohde opusc. I 1901, 180 (*Rhein. Mus.* XXXIII 1878, 638). Libellus contra Apionem scriptus est postea quam antiquitates; vide Christ-Schmid *Gesch. gr. Lit.* II 1[6], 453. Tamen *γίνεται*, *ἐγένετο* nusquam cunctorum Iosephi operum eam vim habet. Hic usus est proprius euangelii Ioannis; 1, 6: *ἐγένετο ἄνθρωπος, ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης.*

ται hic esse idem atque imperfectum verbi εἶναι, pro quo Iosephus plerumque scripsit ἦν. Atque ut hoc loco γίνεται esse praesens historicum concedamus, at Iosephi est consuetudo hominem, dico hominem, adhuc ignotum commemoraturi enuntiatum instituere ipsis verbis ἦν δὲ [1]. Constat igitur verbum γίνεται hoc loco esse alienum ab Iosephi genere dicendi.

Ceteroqui haec sententia vix continet verba a Flavii elocutione discrepantia. At permultum laborant docti viri in verbis σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. Quod Th. Zahn eandem fere sententiam in actis Pilati, quae spuria esse constat, reperiri nos admonet, haud ita grave videtur [2]; nam A. Berendts fieri potuisse demonstrat, ut ab auctore recensionis illius actorum Pilati, quae continet verba εἰ χρὴ μὲν καὶ ἄνθρωπον ὀνομάζειν σε, quia satis sero exstitit, antiquitates XVIII 63 sq. adhiberentur [3]. Luce autem clarius apparet verba εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή scribi non potuisse nisi a manu Christiani hominis, nimirum cum iis inhaereat ecclesiae doctrina Iesu originem habere a deo [4]. Praeterea facile est intellectu hanc sententiam de Christi divinitate confirmari verbis subinde sequentibus ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, neque quisquam cogitaverit Iosephum, ut qui Iudaeorum cultu obstrictus esse nunquam desineret, magistro Nazareno propterea divinam

---

[1] Ant. IX 239: Ἦν δέ τις κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν προφήτης Ναοῦμος ὄνομα; XV 373 ἦν τις τῶν Ἐσσηνῶν Μανάημος ὄνομα. Vide praeterea etiam ant. VI 45. 295, passim.

[2] Recensionis B c. XI in Tischendorfii evangeliis apocryphis[2] 1876, 314 Iosephus Arimathenus Iesum sic alloquitur: ὦ μοι, γλυκύτατε Ἰησοῦ, ἐξ ἀνθρώπων φίλε ἐξαισιώτατε, εἰ χρὴ μὲν καὶ ἄνθρωπον ὀνομάζειν σε, τὸν οἷα οὐδέποτε πεποίηκεν ἄνθρωπος θαύματα ἐργασάμενον. Vide Th. Zahn *Forschungen zur Geschichte des neutest. Kanons* VI 1900, 302 adn. 3.

[3] *Texte und Untersuchungen z. altchr. Lit.* XXIX 1906, 44, 1.

[4] Vide Siebert *Die ältesten Zeugnisse üb. d. Christent. bei den röm. Schriftstellern.* Progr. Kaiserin Aug. Gymn. Charlottenb. 1897, 1. — G. A. Müller l. l. 14. 32; E. Schuerer l. l. I 547; Niese, Progr. Marb. 1893 IV. G. Jahn *Person Jesu*, Leiden 1911, 149 et ipse haec verba reicit; praeterea damnat ἦν γὰρ . . . δεχομένων, ὁ . . . ἦν, ἐφάνη . . . εἰρηκότων. Cetera ut genuina defendit. Argumenta eius sunt perpauca neque ullius auctoritatis.

originem fuisse existimasse, quod ille mirabilia egisset sapientiaque imbuisset homines veritatis diligentes[1]. Quin ne Moysem quidem, qui ei ut Iudaeo homini debebat maioris esse auctoritatis atque gravitatis quam Iesus ille paterno cultu egressus, omnino humana specie exuit, immo vires tantum ipsi divinas quasdam infuisse aperte confitetur[2]. Neque Elissaei prophetae, quem divinitus afflatum esse censet[3], de ortu ac natura humana dubitat. Inde cognoscimus eam sententiam de origine Iesu divina minime concinere cum Flaviano ingenio verbaque *εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή* certo spuria esse. Sed his verbis extrusis nihil iam restat, quod genuinum esse possit, nisi Iesum Pilati aetate vitam egisse, virum sapientem. Quod vero primum verbum *γίνεται* ipsum est positum ratione ab Iosepho aliena, auctoritati huius enuntiati valde nocet totius.

Ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων[4].

Παράδοξος adiectivum multis locis antiquitatum legitur et cum aliis substantivis[5] coniunctum et cum voce *ἔργον*[6]. Etiam verba *ἡδονῇ δέχεσθαι* sunt multifariam ab Iosepho posita[7]. At *ποιητής* vocem Flavius nulla alia vi usurpavit nisi Latini 'poeta'[8], et Niese[9] suo iure hoc vocabulum in suspicionem vocat, utpote quod hanc ipsam significationem etiam in libris sanctis exhibeat[10]. Etiam *διδάσκαλος* vox valde sapit

---

[1] Vide E. Gerlach l. l. 101.

[2] Ant. III 318: *καὶ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα τεκμήρια τῆς ὑπὲρ ἀνθρωπόν ἐστι δυνάμεως αὐτοῦ.*

[3] Ant. IX 183 fin. *δύναμιν εἶχεν θείαν.*

[4] Haec verba Isidorus Pelusiota, qui vixit V. saeculo, alacri animo attulit demonstrandi causa, quousque veritatis Iosephus processisset; l. IV ep. 225 (Patrologia Graeca ed. Migne 78, 1319 sq.): *ἐγὼ δὲ λίαν θαυμάζω τἀνδρὸς ἐν πολλοῖς μὲν τὸ φιλάληθες. Μάλιστα δὲ ἐν οἷς εἶπε· διδάσκαλος κτλ.*

[5] Ant. II 347 *λόγος*; III 1 *σωτηρία*; VI 171 *ἀνήρ.*

[6] Ant. IX 182; XII 63.

[7] Ant. XVII 329 *τὸ ἡδονῇ δεχόμενον τοὺς λόγους*; XVIII 6 *καὶ ἡδονῇ γὰρ τὴν ἀκρόασιν ὧν λέγοιεν ἐδέχοντο οἱ ἄνθρωποι*; res agitur de Iudaeis, qui libenter Iudam Gaulanitam eiusque socios populum ad seditionem cientes sequuntur.

[8] Ant. I 16.

[9] Progr. Marb. 1893 p. V.

[10] Iac. 1, 22 *ποιητὴς λόγου*; 25 *ποιητὴς ἔργου*; vide Matth. 11, 2 *τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ*; *ἔργα ποιεῖν*: Ioh. 5, 20. 36; 7, 3; 10, 38; 14, 12; 15, 24; in Iosephi antiquitatum libris *μιμητὴς ... ἔργων* tantum inveni ant. IX 44.

ingenium Christiani hominis, praesertim cum coniuncta sit cum *ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῇ δεχομένων*, quae vis amplificata huius vocabuli ut Iosepho[1] inusitata ita euangeliis est pernota[2]. Ad id demonstrandum afferre mihi liceat imprimis Matth. 22, 16, ubi Pharisaei Iesum fallere student, *καὶ ἀποστέλλουσιν αὐτῷ τοὺς μαθητὰς αὐτῶν μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν λέγοντας· Διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις*[3]. Nec minus *ἀσύνδετον* illud: *Ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων* abhorret a Flaviana elocutione[4].

Deinde iam quaeritur, num sensus, qui in hisce verbis est, probandus sit. Si hoc enuntiatum seorsum per se exstaret neque respiceret ad antecedentem sententiam *εἶγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή*, sensus verborum nobis non improbetur; nam etiam aliorum virorum Iosephus commemorat mirabiles res. Ant. III 317 dicit de Moyse: *Θαυμαστὸς δὲ ἀρετῆς ὁ ἀνὴρ καὶ τῆς ἰσχύος*. Sed totum enuntiatum, quod voce *γὰρ* adnectitur, non habet alium finem nisi ut prior sententia *εἶγε* . . . exponatur. Similemque ratiocinationem reperimus in euangelio Lucae 5, 26: Iesus deum se probat, cum efficiat, ut homo quidam claudus ilico reficiatur ac surgere possit. Miro igitur opere confecto cuncti, qui adsunt, eum pro deo agnoscere non dubitant: *Καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν θεὸν καὶ ἐπλήσθησαν φόβου λέγοντες, ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον*. Nimirum qui est *ποιητὴς* tanti *παραδόξου ἔργου*, is non est homo, immo deus[5].

Neque minus apparet etiam verba *διδάσκαλος ἀνθρώπων* .... valde sapere Christianorum sectae doctrinam. Iesus in euang.

---

[1] Vide ant. XX 41 *διδάσκαλος βασιλεῖ ἀπρεπῶν ἔργων γενόμενος*.

[2] Matth. 8, 19; 12, 38; 19, 16; 22, 24. 36; Marc. 4, 38; 9, 17. 38; 10, 17. 20. 35; 12, 19. 32; 13, 1; Luc. 3, 12; 7, 40; 9, 38 passim.

[3] Eadem referuntur Marc. 12, 14.

[4] Vide ant. VI 294: *ἐγένετο δὲ ἀνὴρ δίκαιος καὶ χρηστὸς τὴν φύσιν καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα φίλος τῷ θεῷ*. XI 121, XII 433; exemplorum numerus perfacile augeri potest (cave, ne compares hoc *ἐγένετο* cum testimonii verbo *γίνεται* [vide supra 19sq.]. Hoc *ἐγένετο* exstat non absolutum sicuti testimonii *γίνεται*, verum coniunctum cum substantivo et adiectivis habetque vim *ἦν* formulae, id quod ex paragraphis antecedentibus apparet.).

[5] Vide Io. 11, 47sq.: . . . *οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι . . . ἔλεγον· Τί ποιοῦμεν, ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος πολλὰ ποιεῖ σημεῖα;*

Io. 18, 37 ad Pilatum dicit: *Πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούει μου τῆς φωνῆς*[1]. Atque Iosephus, licet alios praeceptores illustres non dubitaverit numerare inter viros praestantissimos verumque appetentes[2], tamen procul dubio ne eos homines laudaret ut veritatis diligentes cavit, qui haberentur inter Iudaeorum adversarios, praesertim cum Iudaeorum maximeque Pharisaeorum animos hoc de nova secta iudicio acerrime fuerit laesurus.

Praeterea Iosephus vix populum suum ethnicis recte commendaverit, si de Iesu sectatoribus, quippe qui ex Iudaeis orti cunctis hominibus invisi essent, benevole iudicaret. Quod C. Fr. Boehmert verba *ἀνθρώπων . . . δεχομένων* nonnisi ad Iudaeos pertinere sentit veram Iesu doctrinam accipientes[3], non iure dicit; nam infra aperte scriptum legimus: *Καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ*. Nonnulli denique, qui in *τἀληθῆ δεχομένων* verbis offenduntur ac tamen, quae traduntur, conservare student, *τἀληθῆ* mutant alii in *ταὐτὰ*[4] h. e. insolita, nova, alii in *καινὰ*, quod deinde ab interpolatore mutatum esse censent[5]. At minime eam sententiam mutare licet, cuius verba similibus locis Novi Testamenti fulciuntur. Immo retinenda sunt, et negare cogimur totum enuntiatum *ἦν γὰρ . . .* de Iesu eiusque discipulis dictum Iosephi ipsius esse genuinum[6].

Καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο.

In verbis ipsis neutiquam offendimur. Neutrum *τὸ Ἑλληνικὸν* pro *τῶν Ἑλλήνων* ponitur secundum Iosephi consuetudinem[7], neque id invenitur in euangeliis. *Ἐπάγεσθαι* verbum 'sibi adducere, pellicere' iam a Thucydide usurpatur, cuius

---

[1] Vide etiam II Thess. 2, 10: *Τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο.* — *Τὸν λόγον δέχεσθαι* h. e. verum accipere, invenitur act. 8, 14; 11, 1; 17, 11; Luc. 8, 13; Iac. 1, 21; I Thess. 1, 6; 2, 13.

[2] Vide Iosephi de Moyse et Elissaeo iudicium supra 21, item de Essenis bell. Iud. II 119 sqq., ant. XVIII 18 sqq.

[3] L. l. p. 169.

[4] Vide Fr. Ad. Heinichen, Eusebii scripta historica vol. III 1870, 647.

[5] Vide Th. Reinach l. l. 11.

[6] In eo conveniunt G. A. Müller l. l. 34; E. Schuerer l. l. I 547; I. C. L. Gieseler l. l. 83, 1.

[7] Vide v. Gutschmid, opusc. IV 353.

exemplum Iosephum esse imitatum non ignoramus[1]. Quidam vero hoc loco motum per Iesum effectum[2] commemorari putant et verbo *ἐπηγάγετο* supponere student significationem seditionis cuiusdam vel tumultus rati huc spectare etiam verba infra sequentia, quae Iesu accusationem continent *καὶ αὐτὸν ἐνδείξει*[3]. Sed hic sensus eius verbi nulla re probatur, nedum postuletur. Praeterea autem ad hanc interpretationem male quadrat vocabulum in fine testimonii scriptum *ἀγαπήσαντες* significationis violentiae sane expers. Restat igitur, ut *ἐπάγεσθαι* vertamus in simplex 'secum ducere, sibi adducere', neque iam profecto in eo verbo offendimur[4].

At quaeritur, num fides habeatur nuntio Iesum ipsum praeter Iudaeos etiam Graecos sibi conciliasse. Nos enim nihil eius rei novimus nisi feminam quandam Samaritanam ab eo traductam ad religionem Christianorum[5]. Quare, si verba de Graecis conservare volumus, sumere cogimur Flavium haec de Iesu scripsisse sua ipsius tempora respicientem, quibus nova secta iam propagata erat usque ad Graeciam et Italiam[6]. Sed ut Iosephus ipse ita scribere potuerit[7], tamen concedendum est etiam Christianum interpolatorem ea verba serere potuisse, cuius temporibus hanc sententiam de Iesu cultu ad Graecos quoque prolato fortasse etiam maiore iure pronuntiare licebat quam Iosephi aetate. Praeterea vero Pauli sententia ex his verbis elucere videtur Iesum euangelium praedicavisse

---

[1] Hans Druener *Untersuch. über Iosephus.* Diss. Marburg 1896, 12; vide Thuc. V 45, 1: *μὴ καί, ἢν ἐς τὸν δῆμον ταῦτα λέγωσιν, ἐπαγάγωνται τὸ πλῆθος καὶ ἀπωσθῇ ἡ Ἀργείων ξυμμαχία*; Philo vit. Moys. 2: *πάντας γὰρ ἐπάγεται καὶ συντρέφει.*

[2] Mira est Muelleri sententia, qui motum intellegi posse opinatur de animis sectatorum excitatis l. l. 11.

[3] G. A. Müller l. l. 35; Th. Reinach l. l. 7. 11.

[4] Vide ant. VIII 380; XI 122; XVII 219; XIX 341.

[5] Io. 4, 6 sqq.

[6] Vide v. Gutschmid l. l. 352; G. A. Müller 36; K. Wieseler l. l. 93; Fr. Ad. Heinichen l. l. 636.

[7] A. v. Gutschmid l. l. 352 censet Iosephum hoc potius errare potuisse quam interpolatorem Christianum; ergo hoc totum enuntiatum genuinum esse iudicat.

et Iudaeis et Graecis, h. e. ethnicis[1]. Ita fit, ut hoc enuntiatum possit esse et auctoris ipsius genuinum et interpolatum a falsario, qui in his verbis Flavianae elocutionis peritum se praebet.

Ὁ χριστὸς οὗτος ἦν.

Primum est mirum, quod hoc enuntiatum nulla coniunctione cum antecedenti sententia conectitur; Iosephus enim assidue aliam sententiam alteri asserit voce *δὲ* vel *γὰρ* similive modo; unum certe exemplum afferre mihi liceat ant. X 81 sq.: *. . . ὁ παῖς αὐτοῦ διαδέχεται* (sc. *τὴν βασιλείαν*) *Ἰώαζος τοὔνομα τρίτον καὶ εἰκοστὸν ἤδη ἔτος γεγονώς. καὶ οὗτος μὲν ἐν Ἱεροσυλύμοις ἐβασίλευσε.*

Praecipue autem sensus verborum est valde suspiciosus, quippe quibus confessio insit Iesum esse Messiam[2]. Cum igitur nemo nisi qui Christi cultui erat deditus, nedum Iudaeus homo ita de Iesu iudicare posset, ii docti viri, qui vel hoc enuntiatum conservare pervelint, vario modo huic loco succurrere studuerunt. Sunt, qui censeant *εἶναι* hic vertendum esse in *νομίζεσθαι, λέγεσθαι*; sed optimo iure H. C. A. Eichstaedt eam interpretationem reiecit, cum haec vis *εἶναι* verbi nullo loco exhibeatur[3]. Alii Hieronymo nisi, qui hoc enuntiatum vertit in 'et credebatur Christus esse', proponunt loco *ἦν* substituendum esse *ὠνομάζετο* vel *ἐνομίζετο*[4]. Sed ita textum mutare minime licet; nam Hieronymus sensum ita variasse potest ideo, quod eum digniorem putabat Iudaeo auctore. Neque magis rem producunt ii, qui brevi sententia ant. XX 200 *τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ* in subsidium vocata post *ὁ* articulum ponere volunt *λεγόμενος*[5], cum propter verbum *ἦν* sensus maneat immutabilis[6]. Textum vero ob id

[1] Unum exemplum etiam hoc loco praebeo I Cor. 12, 13: *Ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, εἴτε Ἰουδαῖοι εἴτε Ἕλληνες.*

[2] Vide E. Schuerer l. l. I 547; G. A. Müller l. l. 38; v. Gutschmid l. l. 353; I. C. L. Gieseler l. l. 83, 1; G. Volkmar l. l. 336.

[3] Quaestionibus sex super Flaviano de Iesu Christo testimonio auctarium II Ienae 1842, 11 sqq.; E. Schuerer l. l. I 547.

[4] De hac re inspicias G. Volkmar l. l. 342; F. X. Funk *Lit. Rundschau für d. kath. Deutschland* XVI 1890, 363; Hieronymus de script. eccl. c. 13.

[5] G. A. Müller l. l. 39 sq.; Th. Reinach l. l. 12.

[6] Etiam quaeritur, cur *λεγόμενος*, si revera quando ant. XVIII exsti-

ipsum, quia suspicioni est, nullo testimonio allato mutare vetamur; nam nostrum est difficultates superare, non evitare. Sed cum Iesum esse Messiam confiteri nemini in mentem venire posset nisi Christiano vere credenti, inde sequitur, ut haec verba ob eam rem Iosepho abrogari oporteat. Adde huc, quod neque significatio vocis *Χριστὸς* explicatur, quam formulam Graeci tum quidem per se satis perspicue intellegere nondum potuerunt [1].

Καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου οὐκ ἐπαύσαντο οἱ τὸ πρῶτον ἀγαπήσαντες.

Vocabulum *ἔνδειξις* 'indicium' nihil habet suspicionis. Ant. XVI 240 legimus: *Εἰς τὸ τιμωρήσασθαι τοῖς ἴσοις τοὺς ἐνδειξαμένους ἀπηρτίζετο,* XIX 33 *τοῦτον ἐνδείκνυσιν Τιμίδιος ἐχθρός.* Item *τῶν πρώτων ἀνδρῶν* est genus dicendi Iosephi proprium. Ant. XVIII 98 narratur principes Parthorum esse necatos: *Οἵ τε πρῶτοι τῶν τῇδε ἐκτείνοντο ἀνδρῶν* [2]. Verba *παρ' ἡμῖν* Niese Iosepho abrogavit; dicit enim Flavii esse consuetudinem scribere *παρὰ Ἰουδαίοις* vel similia, cum nusquam nisi in prooemiis per pronomen personale Iudaeos significare soleat [3]. Sed C. A. Kneller complura exempla attulit, quibus doceret etiam media in narratione rerum continua id pronomen esse adhibitum [4]. Attamen suspicio Niesei non tollitur. Primum est observandum Iosephum nusquam suorum librorum *οἱ πρῶτοι* cum pronomine personali coniungere [5]. Praeterea auctor antiquitatum hoc pronomen ubique ita exhibet, ut semet ipsum quoque sub eo intellegat. Ita ant. XVIII 11 quidem scribit: *Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν,* 25 *καὶ φιλοσοφεῖται μὲν Ἰουδαίοις τοσάδε,* nimirum cum ipse non esset omnium trium philosophorum scholarum, dicit *Ἰου-*

---

terit, postea sit extrusum, cum ant. XX 200 *τοῦ λεγομένου* servatum sit intactum; vide E. Gerlach l. l. 95.

[1] Hoc recte animadvertit B. Niese, Progr. Marb. 1893 p. V; nonnulla quidem praeterea contra testimonii auctoritatem ab eo allata a Knellero sunt refutata; vide B. Niese l. l. V; C. A. Kneller l. l. 15. 165.

[2] Vide etiam ant. XVIII 99; XX 119. 123. 125. 132.

[3] Progr. Marb. 1893 p. V. [4] L. l. 15.

[5] Ant. XI 141 *τοὺς πρώτους τοῦ λαοῦ*; XX 135 *τοὺς τῶν Ἰουδαίων πρώτους.*

δαίοις; sed XVIII 29: *Τῶν ἀζύμων τῆς ἑορτῆς ἀγομένης, ἣν πάσχα καλοῦμεν*; XVIII 55: *Πιλᾶτος δὲ ὁ τῆς Ἰουδαίας ἡγεμὼν . . . ἐπὶ καταλύσει τῶν νομίμων τῶν Ἰουδαϊκῶν ἐφρόνησε, προτομὰς Καίσαρος . . . εἰσαγόμενος εἰς τὴν πόλιν, εἰκόνων ποίησιν ἀπαγορεύοντος ἡμῖν τοῦ νόμου*[1]. Id praecipue exemplum manifesto demonstrat, quam diligentem Iosephus in hac re sese praestet: *ἐπὶ καταλύσει τῶν νομίμων τῶν Ἰουδαϊκῶν* intellegendum est ex cogitatione Pilati, *ἡμῖν* e mente Iosephi[2]. Itaque, cum Flavius anno 37 vel 38 natus nequaquam inter Iesu accusatores haberi possit, concludere cogimur verba *παρ' ἡμῖν* esse spuria atque confitendum est eum, quicumque hunc antiquitatum locum sive mutavit sive totum interpolavit, non satis fuisse peritum Flavianae elocutionis[3].

Deinde iam mirum est verbum *ἐπιτιμάω*, quod quotienscumque eius vis 'multam irrogare' postulatur, genetivum vel etiam accusativum secum fert[4], hoc loco constructum esse cum dativo. Tamen huic diverso usui nimium pondus attribuere nolim, cum verbi significatio perfacile mutari possit in 'multare aliqua re'. Sed gravius est hoc vocabulum nullo alio loco Iosephi librorum, quantum video, inveniri.

Ἀγαπήσαντες denique forma magnas praebet difficultates. Negari quidem non potest etiam alioqui aoristi participium coniunctum esse cum *τὸ πρῶτον*, quod et ipsum est Iosephi elocutionis[5]: Ant. XIX 191: *Ὡς καὶ τοῦ παντὸς ἐπιβουλεύματος δόξειε κοινωνεῖν τὸ πρῶτον συνθεμένων*; itemque concedendum est Flavium permultis locis *ἀγαπᾶν* verbum usurpasse[6]. Attamen hoc quoque vocabulum hoc praesertim loco suspicioni sit, quia persaepe in libris sanctis adhibetur ad significandum

---

[1] Ant. VIII 46: *Καὶ αὕτη μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει*; XV 50: *Ἑορτὴ δέ ἐστιν παρ' ἡμῖν*; XV 398; XVIII 38 fin.

[2] Etiam in testimonio de Ioanne prolato Iosephus hanc consuetudinem observat ant. XVIII 116—119.

[3] Vide B. Niese, Progr. Marb. 1893 p. V.

[4] Aeschines 1, 113: *Τοὺς ἐξάρνους ἐπετιμήσατε ταλάντου ἑκάστῳ.*

[5] *Τὸ πρῶτον* exstat praeter numerosos alios locos ant. XII 273; XIX 187.

[6] Ant. VI 206; VII 269; VIII 198; XI 339; XII 166. 173; XIII 289; XVIII 245; passim.

studium erga deum eiusque filium [1]. Huc accedit, quod eadem iisdem argumentis confirmantur in antiquitatibus et in prima Ioannis epistula 5, 1: *Πᾶς ὁ πιστεύων, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ χριστός, ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται, καὶ πᾶς ὁ ἀγαπῶν τὸν γεννήσαντα ἀγαπᾷ τὸν γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ.* Hic exponitur Iesum a nullo diligi posse, nisi qui eum pro Messia et dei filio agnoscat; illic in sententia *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν* causa latet sectatorum in Iesum pietatis diuturnae. Neque vero quemquam fallat, quam arte sequens enuntiatum *καὶ αὐτὸν . . . οἱ τὸ πρῶτον ἀγαπήσαντες* [2] cum antecedente *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν* cohaereat [3], quod de Iesu divinitate iudicium iam supra quamvis caute et obscure est pronuntiatum: *Εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή.* His explicatis facere non possum, quin de auctoritate etiam huius enuntiati valde dubitem.

Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων.

Ἀσύνδετον illud: *Ἔχων . . . ζῶν* prorsus abhorret a Flaviano genere dicendi. In ceteris quidem verbis ipsis vix offendimur.

Quod autem ad sensum pertinet, iam Havercamp Iosephum ea pro veris habere potuisse negavit *τῶν θείων . . . πάλιν ζῶν* [4]. Ac profecto haec verba cum primis nostram suspicionem cient, licet G. A. Mueller ex praeiudicata opinione id neget [5]. Voce *γὰρ* enim sententia artissime cum priore enuntiato constringitur, cum causa praeter divinitatem Iesu altera proferatur, cur discipuli fidei erga dominum steterint; est videlicet eius resurrectio. Haec autem verba de Christi reditu dicta esse possunt ab homine vere Christiano tantum atque

---

[1] Io. 8, 42; 14, 15; ib. 23. 24. 28; I ep. Io. 4, 10. 11. 20. 21; Th. Reinach l. l. 12 cum Gutschmidio *ἀγαπήσαντες* mutare vult in *ἀπατηθέντες*. Sensus est laudandus, sed nobis licere negem locum tam dubium mutare.

[2] Vide Ephes. 6, 24: *πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν.*

[3] Etiam ob eam rem coniectura Reinachii et v. Gutschmidii improbanda est. Vide supra adn. 1.

[4] Iosephi operum ed. vol. I 877 adn. n.

[5] G. A. Müller l. l. 41.

abroganda Iudaeo auctori [1]. Quodsi ea expunguntur, etiam sequentia *τῶν θείων προφητῶν . . . . εἰρηκότων* necesse est extrudantur, quoniam non habent, quo referantur.

Εἰς ἔτι τε νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

Haec verba nihil habent difficultatis. Si Iosephus in animo habuisset de Iesu nonnulla memoriae tradere, tale aliquid in fine testimonii de secta Christianorum desideraretur. Quare fieri potuit, ut Flavius ita de Christianis scriberet, si modo eos commemoratione dignos iudicabat.

Iamque contendamus ad finem huius capitis. Cognitum habemus has sententias esse hominis Christianorum doctrina imbuti et alienas ab Iosephi cum elocutione tum ingenio: *Εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. Ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων . . . Ὁ χριστὸς οὗτος ἦν . . . οὐκ ἐπαύσαντο οἱ τὸ πρῶτον ἀγαπήσαντες. Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων.* Quae Iosephi esse possunt, perpauca sunt: *Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνήρ. . . . Καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο . . . Καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλατου . . . Εἴς ἔτι τε νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.* Sed vel in his verbis occurrunt quaedam ab Iosephi usu discrepantia. Ac primum quidem Iosephus *γίνεσθαι* eo, quo hic usurpatur, sensu nusquam exhibet. Deinde *πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ* suspicionem ciere possunt, ni forte Flavius haec ex sua aetate intellexit. *Ἐπιτιμάω* porro cum dativo supplicii constructum est inusitatum. Adde huc, quod *παρ' ἡμῖν* est positum alienum ab auctoris consuetudine. Iosephus igitur has de Iesu sententias hoc fere modo pronuntiaturus fuisse putandus est: *Ἦν δὲ τότε δὴ Ἰησοῦς, ὃ καὶ λεγόμενος Χριστός, σοφὸς ἀνήρ, ὃς πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. Καὶ ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἀνεσταυρώθη Πιλάτου κελεύοντος. Ἀλλ'*

[1] Vide E. Schuerer l. l. I 547; I. C. L. Gieseler l. l. 83; G. Volkmar l. l. 336; K. Wieseler l. l. 93.

εἰς ἔτι νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον. Sed ea sint minora, quam quae Iosephum commoverint, ut Iesu hoc loco ipso mentionem faceret. Attamen ex Iosephi Iudaicae archaeologiae libro XVIII antiquum textum de Iesu Nazareno genuinum eumque Christianis molestum postea a Christiano homine nimis studioso esse expunctum sumere non dubitarem, nisi essent argumenta commemorationi Iesu in antiquitatibus repugnantia illa, quae supra 5 sq., 10—17 contuli. Sin autem Iosephus Iesum commemorare in animo habebat, eius imprimis interesse debuit demonstrare Iudaeos recte fecisse, cum Christum accusarent capitisque damnarent. Sed utut res se habet, ex loco, qualis hodie legitur, minime licet aliquid testimonii rebus de Iesu persona traditis fidem esse habendam ducere, cum verba illa nimis a Christianis interpolatoribus sint mutata, quam unde aliquid certum quamvis exiguum colligere audeamus.

Atque alio quoque antiquitatum loco Iesu Christi nomen est nuncupatum. Origenes contr. Cels. I 47; II 13, comment. ad Matth. X 17[1] Iosephi fuisse opinionem narrat Hierosolyma concidisse ob Iacobi mortem iniustam. Cum hodie Flavianum illud testimonium non legamus, inde sequitur, ut id aut primitus genuinum fuerit posteaque extrusum aut spurium in nonnullis tantummodo codicibus exstiterit. Est quidem verisimilius Iosephum ipsum haec de Iacobo dixisse quam Christianum interpolatorem atque illa verba posterioribus temporibus ab Iudaeis nimis religiosis esse extrusa. Verum haec quaestio vix umquam satis diiudicari poterit.

At hodie alia verba de Iacobo leguntur. In nono capite libri XX narratur Ananum minorem summum sacerdotem factum animo fuisse vehementi atque audaci sectamque Sadducaeorum secutum, qui εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους (§ 199); pergitque Iosephus § 200: Ἅτε δὴ οὖν τοιοῦτος ὢν ὁ Ἄνανος, νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον διὰ τὸ τεθνάναι μὲν Φῆστον, Ἀλβῖνον δ' ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας

[1] Vide supra 7 sq.

ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους.

Etiam huius loci, quantum ad Iesum pertinet, de auctoritate docti viri inter se dissentiunt.

Quod quidem nonnulli consensum codicum in subsidium vocant[1], hoc nihil refert, cum ex iis de fide alicuius loci praesertim ad Iesum respicientis argumentum ducere non liceat; vide, quae supra explicaverim[2]. At quaedam aperte demonstrare mihi videntur hunc locum de Iesu non esse interpolatum. Primum cum iis consentio, qui non dubium esse censent, quin falsator, si haec de Iacobi nomine additamenta fecisset, ut homo vere Christianus religionisque studiosus Iacobo voci *Δίκαιος* cognomen additurus fuerit[3]. Praeterea E. Gerlach recte animadvertit hoc loco *Χριστὸς* appellationem nihil aliud significare nisi cognomen ipsum, cum ant. XVIII 63 sit nomen dignitatis divinae[4]. Et quidem Iosephi erat ut historici diligentis hunc Iacobum discernere a duobus aliis, quorum et ipsorum internoscendi causa nominat alterum Isaci et Rebeccae filium[5], alterum Iudae Galilaei[6]; eandemque ob rem etiam Iesum aliquo attributo a ceteris multis eiusdem nominis viris distinguere debuit[7]. Nec denique metuendum erat, ne Flavius his de Iesu additamentis odium ethnicorum in suam gentem augeret. Nam priore testimonio uberiore ant. XVIII 63 sq. expuncto nemo sive Romanus sive Graecus ex his verbis in Iudaeos vitium iacere potuit.

Ita concedatur Iosephum hoc uno loco perquam concisis verbis Iesu personam perstringere potuisse.

---

[1] K. Wieseler l. l. 99 sq. [2] 5 sq. [3] Vide E. Gerlach l. l. 119.
[4] L. l. 120. [5] Ant. I 257 sq. [6] Ant. XX 102.
[7] Vide indicem Niesei, ed. vol. VII 41 s. v. *Ἰησοῦς*.

Caput II

De Plinio et Traiano

Cum nonnulli docti viri auctoritatem cunctarum epistularum inter Plinium et Traianum mutuarum in dubium vocarint, meum est, priusquam duas illas de Christianis epistulas tractaturus sum, quae sub numeris 96 et 97 leguntur, in totum hunc librum epistularum inquirere, utrum existimandus sit fide dignus an spurius. Sed quia argumenta obtrectatorum et defensorum auctoritatis epistularum iterum atque iterum sunt tractata, in hac quaestione gravissimorum tantummodo argumentorum rationem esse habendam censui.

Omnium quidem, qui *τὴν αὐθεντίαν* Plinii de Christianis interrogationis rescriptique Traiani refellere studuerunt, P. Hochart eo est progressus, ut Plinium, quem legatum pro praetore Bithyniae provinciae fuisse e litteris liquet, unquam ibi versatum esse negaret[1]. Quod ad probandum excutit etiam inscriptiones[2] ad Plinium respicientes, quae numero sunt quattuor. Harum tres CIL V 5263, 5264, 5667 nihil probare licet concedamus, tamen restat quarta inscriptio CIL V 5262, quam reddo a Mommseno restitutam[3]: 'C. Plinius L(uci) f(ilius) Ou(fentina) Caecilius [Secundus co(n)s(ul)] augur legat(us) pro pr(aetore) provinciae Pon[ti et Bithyniae] consulari potesta[te] in eam provinciam e[x s(enatus) c(onsulto) missus ab] imp(eratore) Caesar(e) Nerva Traiano . . .' Hunc titulum etsi

[1] *Etudes au sujet de la persécution des Chrétiens sous Néron*, Paris 1885, 117—143.

[2] Hae sunt CIL V 5263, 5264 Comi repertae, CIL V 5262 Mediolani, CIL V 5667 Fegii, in vico prope Comum sito.

[3] *Histor. Schr.* I 442 sqq.; Dessau, Inscr. sel. 2927.

Mommsen non suis oculis vidit[1], inspexit v. d. Ios. Variot, qui, id quod summi est momenti, expressis verbis in secundo versu inscriptionis PON litteras h. e. Ponti se legisse dicit[2]. Tamen P. Hochart inde de Plinio provinciae illius administratione functo aliquid argumenti ducere non modo aspernatus est, verum etiam inscriptionem velut falsam reiecit. Offenditur enim, quod in eo lapide desideretur amplissimus Secundi honor, h. e. consulatus, qui in duabus inscriptionibus V 5263 et 5667 primum post nomen locum teneat[3]; neque in his duabus inscriptionibus quidquam de provincia Bithynia legi, sed de Ponto tantum[4]; huc accedere, quod illis temporibus Bithynia non habita sit pro Ponti parte neque etiam ab imperatore, sed a senatu illius provinciae magistratus nominari sint soliti[5]. Quarum rationum nulla probari potest. Primum summi est momenti, quod in fine primi versus lacuna hiat, quam ex comparatione duarum inscriptionum V 5263 et 5667[6] etiam ab Hochartio pro genuinis acceptarum cogimur explere verbis 'Secundus cos', quod iam Mommsen recte fecit. Praeterea Pontum et Bithyniam ex Antonii temporibus ut unam provinciam per unum eundemque magistratum administrari esse solitam satis scimus e titulis compluribus, qui provinciam 'Pontum et Bithyniam' appellant (CIL XIV 2925)[7]. Cum res ita se habeat, firmatur supplementum a Mommseno propositum 'Pon[ti et Bithyniae]', quo alterum argumentum Hocharti refutatur. Atque optime accedit altera Traianeae aetatis inscriptio XIV 2925, ubi honores dedicantur 'Tertullo cos. pro consuli provinci[ae Asiae] proconsuli provinciae Narbo[nensis] legato pro praetore Divi Traiani [Parthici] provinciae Ponti et Bith[yniae]'[8]. In hoc quoque titulo post nomen consulatum invenimus commemoratum Tertullumque a Traiano ipso esse missum legatum pro praetore in provinciam 'Pontum et Bithyniam'[9]

---

[1] Ib. 110. [2] *Revue des quest. hist.* XXIV 1874, 99.
[3] L. l. 127; vide etiam 142sq. [4] L. l. 125. [5] L. l. 127.
[6] Habet enim haec uterque titulus: 'C. Plinio L. f. Ouf. Caecilio Secundo cos'.
[7] Complures collegit Brandis in PWR III 525. 527.
[8] De hac inscriptione inspiciendus est Th. Mommsen *Hist. Schr.* I 416.
[9] Affero praeterea ex Mommseno l. l. 444sqq. CIL XI 5272, ubi etiam

legimus, unde apparet Traianum revera sibi ius illi provinciae magistratus designandi sumpsisse. Quod Plinius verbis expressis appellatur 'legatus pro praetore consulari potestate in eam provinciam ex s. c. missus', quod optime Mommsen restituit, ita est intellegendum: quamquam ab imperatore mittitur legatus pro praetore, quae potestas magistratibus a principe designatis indi solita est [1], tamen habet potestatem proconsularem, quae attribuebatur magistratibus a senatu missis [2], h. e. provincia sub senatus potestate esse non desiit. Cum igitur causae ab Hochartio contra inscriptionis auctoritatem congestae nihil valeant ipseque titulus perfacile intellegatur, habendus est pro genuino ac nostro iure dicemus Plinium revera Ponto et Bithyniae provinciae Traiani iussu praefuisse.

Sed sunt etiam, qui totum illum epistolarum librum pro interpolato habeant. Fieri enim potuisse negant, ut inter illos duos viros intra tam exiguum spatium tam multae epistulae mutuo darentur [3], praesertim cum imperator plurimis rebus multo gravioribus occupatus esset, quam qui ad tales nugas, quales Plinii epistulis continentur, respondere dignaretur [4]; neque sumendum esse Plinium, qui sane perquam peritus iuris legumque fuisset, toties de tot rebus a principe consilium petivisse [5]. Atqui, cum Plinius XVII fere menses in Bithynia sit versatus [6], numerus epistularum ab eo missarum non tantus est, ut mireris. Dedit enim sexagies semel [7] epistulas ad Traianum, h. e. singulis mensibus ternae fere quaternaeve ex

---

'Bithynia' legitur, quae inscriptio a Bormanno ad Plinium Caecilium Secundum refertur in *Eph. archäologisch-epigr. Mitteilungen aus Österreich* XV 37.

[1] Tac. ann. II 66, 1; XII 31, 1.

[2] Tac. ann. III 32, 3 (Plin. ep. ad Trai. 72).

[3] Jul. Held *Über den Wert der Briefsammlung des jüngeren Plinius in Bezug auf die Geschichte der röm. Lit.* 1833, 5—12.

[4] Sic iudicat P. Hochart l. l. 99.

[5] E. Desjardins *Revue des deux mondes* VI 1874, 656; item P. Hochart l. l. 83—85.

[6] Ut acute demonstravit Th. Mommsen l. l. 390sqq.: Sept. a. 111—Ian. 113.

[7] Epistulae ex Bithynia missae ordiuntur ab XV epistula. Th. Mommsen l. l. 389sq.

provincia ad imperatorem pervenerunt. Caesar XXXXVIII rescripta ad legatum misit, quorum quidem non omnia ipse composuit. E minore enim parte responsa ab ipso principe esse concepta Ioh. Meyer demonstravit [1], cum cetera ex schola scribarum prodierint. Illis allocutio 'mi Secunde' vel 'mi Secunde carissime' est praefixa, haec appellatione carent. Quae si reputamus, Traianus intra tria semestria viginti epistulas ipse ad Plinium scripsit, cetera XXVIII rescripta per alios curavit facienda. Et fuerunt permultae res, de quibus legatus valde dubitabat, eaeque tam graves, ut imperatorem, cuius animum etsi tot tantisque negotiis occupatum esse non ignorabat, tamen consilii causa adire praeferret [2]. Ne enim obliviscamur Secundum, licet cursum honorum percurrerit atque defensione duorum Bithyniae proconsulum suscepta [3] quodam modo instructus fuerit de condicione eius provinciae, attamen ad id temporis neutiquam ipsum versatum esse in rebus provincialibus [4]. Cum praeterea imperator ipse ei permisisset, ut se de rebus difficilibus consuleret [5], inde accidit, ut vel saepius fortasse necessario a Traiano consilium peteret, idque ex eo quoque patet, quod princeps nonnunquam paulum indignatus legatum admonuit, ne nimis in dubio haesitaret, sed potius ipse de rebus instantibus decerneret [6]. Interdum quidem Traianus etiam laudat Plinium, quod haesitaverit seque consilii causa adierit; ep. 115 dicit: 'Merito haesisti'; ep. 38 fin.: 'Quid ita-

[1] *Der Briefwechsel des Plinius und Traian*, Diss. Straßburg 1908, 39 sq.; H. Peter *Der Brief in der röm. Lit.* in *Abh. Sächs. Ges. Wiss.* XX 3, 123 perperam contendit cuncta rescripta ex officina scribarum prodisse, quod non placet, cum alloquendi illa benevola ratio scribam nòn decuerit.

[2] Ep. 56, 1 Plinius scribit: 'Summas, domine, gratias ago, quod inter maximas occupationes . . . me quoque regere dignatus es'.

[3] Vide ep. V 20; VI 13; VII 6; IV 9.

[4] Ios. Variot l. l. 134 sq. Frankl. Arnold *Studien zur Geschichte der Plin. Christenverfolgung* in *Theol. Stud. und Skizzen aus Ostpreussen*, Königsberg I 1887, 249.

[5] Ep. 31, 1 Plin.: 'Salva magnitudine tua, domine, descendas oportet ad meas curas, cum ius mihi dederis referendi ad te, de quibus dubito'. Vide ep. 56; Fr. Arnold l. l. 249, 2.

[6] Ep. 117 Tr.: 'Ut ipse moderareris'; ep. 40, 1: 'In re praesenti optime deliberabis et constitues, mihi sufficiet indicari, cui sententiae accesseris'; ep. 82, 1: 'Potuisti non haerere, mi Secunde carissime, circa id . . .'

que comperis, perfer in notitiam meam'. His explicatis nihil iam restat, cur tot epistulas inter imperatorem et legatum mutuo datas esse miremur.

Tamen ii, qui auctoritatem harum epistularum denegare cupiunt, auxilio veterum scriptorum implorato nusquam mentionem fieri decimi epistularum libri Plinii, quin etiam Sidonium Apollinarem novem tantum libros novisse pronuntiant[1]. Sed non habemus, cur hunc ad Traianum librum una cum reliquis eadem inscriptione ornatum eodemque volumine editum esse sumamus. Immo Keil primus in editione Plinii epistularum[2] recte fecit, quod hunc libellum proprio titulo nuncupavit. Nam nihil nos impedit, quominus complures collectiones inter se diversas statuamus, alteram epistulas familiaribus, alteram Traiano datas continentes, quod idem accidit in Cicerone, cuius epistularum libri XVI ad familiares distinguendi sunt a libris III ad Quintum fratrem et XVI ad Atticum datis vel ab epistulis inter Ciceronem et M. Brutum mutuis, denique a ceteris proprio titulo significatis nunc quidem perditis[3]. Quodque editorum recentiorum temporum maior pars unam decem librorum collectionem nominant, ex eo ortum esse videtur, quod Pius Aldus Manutius, qui princeps cunctas simul Plinii epistulas edidit, primus decem deinceps continuos libros numeravit[4]. Si id verum est, inde, quod nemo antiqui aevi scriptor decimum librum appellat, colligere non licet illum posterioribus demum temporibus a falsario quodam esse compositum[5].

Etiam hoc nonnulli docti viri animadvertisse sibi visi sunt elocutionem in his ad Traianum epistulis minime esse Plinii propriam[6]. Sed quamquam infra, cum duas epistulas ad Christianos spectantes excutiam, fusius de ea re acturus

---

[1] P. Hochart l. l. 100; Iul. Held l. l. 27 sq. — Carol. Guilhel. Ign. Wilde, De Plinii Caecilii Secundi et imperatoris Traiani epistulis mutuis, Diss. Lugduni-Batavorum 1889, 32 uberius de hac re agit.

[2] Lipsiae 1870. [3] Vide M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* I 2^3, 320 sq.

[4] Fr. Arnold l. l. 232; C. Gu. I. Wilde l. l. 2; M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* II 2, 274.

[5] De ceteris argumentis ex fato Plinii epistularum ductis cf. infra 39 sq. [6] Vide P. Hochart l. l. 100.

sum, tamen etiam hoc loco pauca dicenda sunt. Hochartio enim hoc est suspiciosum, quod genus dicendi aliud est in epistulis ad familiares datis, aliud ad Traianum. At huic suspicioni est obiciendum Secundum in illis studuisse elegantiae formae, in his ad res, ut erant actae, commentarios tantum breves conscripsisse, unde perfacile diversitas dictionis intellegitur. Ceteroqui C. Gu. I. Wilde permultis exemplis Plinii sermonem cum in epistulis ad familiares tum ad imperatorem datis recognosci eundem docuit[1] et Fr. Arnold quoque, cum in stilum epistulae 96 inquireret, tam luculenter ibi rationem dicendi vere Plinianam percipi posse demonstravit[2], ut ad hos doctos viros lectorem relegare mihi sufficiat.

At alterum quoddam Hochartii argumentum fortasse dignum est, quod hic refutetur; qui in eo offenditur, quod legatus principem voce 'dominus' alloquitur, cum Traianus tales novos honores semper spreverit[3]. Sed Suetonius iam Domitianum domini titulum sibi poposcisse narrat[4]. Inde apparet sub Traiano imperatore hanc allocutionem nequaquam fuisse novam[5] neque Heldio[6] prodest in subsidium vocare panegyrici testimonium, ubi Plinius per silentium Traianum cum Domitiano comparans ita dicit[7]: 'non de domino, sed de parente loquimur'. Nam omnes intellegent haec verba arte rhetorica esse dicta iisque hunc fere sensum inesse: hominum, quotienscumque de imperatore loquuntur, animis imaginem obversari non tyranni et domini, verum parentis. Tamen quisquis alloquitur principem, nuncupat eum 'domine'[8].

His causis excussis rationes ab adversariis contra totius libri auctoritatem allatas reiectas esse opinor.

Tamen sunt, qui auctoritatem Traiani rescriptorum saltem esse addubitandam censeant[9]. Quorum Iul. Held valde miratur,

---

[1] L. l. 27—29. [2] L. l. 239—242. [3] L. l. 100.

[4] Domit. 13 § 2 (Ihm); vide Martialem V 8.

[5] De hac re inspiciendus est K. J. Neumann in PWR s. v. dominus V 1309 sq. [6] L. l. 20—25.

[7] c. 2 § 3. [8] Vide infra 43.

[9] Jul. Held, Prolegomena ad librum epistularum, quas mutuo sibi scripsisse Plinium iuniorem et Traianum Caesarem viri docti credunt, Gymn. Progr. Schweidnitz 1835, qui et Plinii interrogationes et Traiani

quod in responsis imperatoris desideratur temporis, quo mittebantur, indicium; Traianum id committere nequisse, quoniam Augustus ad epistulas omnes horarum quoque momenta, quibus datae significarentur, addidisset[1]. Sed cogitemus in Plinii quoque, quae nobis conservatae sunt, epistulis omnibus et ceterorum librorum et huius ad Traianum dati diei, quo missae sunt, significationem deesse. Nam Plinius in IX libris ad familiares missis consulto diem non ascripsit, quia hic usus alienus erat a genere epistularum secundum artis leges conceptarum ipsaeque epistulae singulorum librorum minime omnes temporis ordinem observant[2]; hoc igitur exemplum indicii temporis omittendi editor — nam Plinius ne ipse epistulas suas cum imperatore mutuas in publicum emitteret, haud dubie cavit — in libro epistularum inter Secundum et Traianum mutuarum imitatus est, neque iam erat, cur in ipsis Traiani rescriptis a consuetudine abscederet. Ac licet in Ciceronis epistulis tempus significetur, in epistulis a Marco Aurelio Antonino ad Frontonem magistrum et invicem datis, ut unum exemplum praebeam, frustra temporis vestigium circumspicis. Hoc igitur contra fidem Traiani responsorum argumentum nihil valet.

Praeterea Iul. Held, quem I. A. Ussing est secutus, principis rescripta esse ea censet, ex quibus Plinius nihil commodi atque utilitatis ducere potuerit, immo in dubio haesitare non desierit[3]. Sed C. Gu. I. Wilde hanc sententiam tot exemplis tam diserte refellit[4], ut eius iudicium ex Heldii et Ussingii

---

responsa pro spuriis habet; I. L. Ussing *Om de Keiser Traian tillagte Breve til Plinius* in *Danske Vidensk. Selsk. Schrift hist. o. phil. Afd.* III 1, quem libellum ex Wildei dissertatione tantum cognovi.

[1] Suet. Aug. 50. Iul. Held l. l. 20.

[2] In prima epistula ad Septicium data, quae tamquam omnium epistularum prooemium continet, haec ipse Plinius dicit (Plin. ep. I 1, 1): 'Frequenter hortatus es, ut epistulas, quas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat.' Vide Iul. Asbach in *Rhein. Mus.* XXXVI 1881, 49. Maximil. Schultz, De Plinii epistolis quaest. chronol., Diss. Berl. 1899.

[3] Vide Iul. Held l. l. 17—20; I. L. Ussing l. l. 7—19. 21 sqq.

[4] L. l. 39—58; unum exemplum eligo: Ep. 29. 30.

rationibus nihil argumenti duci posse contra auctoritatem rescriptorum laudare satis habeam. Neque etiam plus valet Ussingii opinio genus dicendi in responsis obvium abhorrere ab imperatoris dignitate[1]. Et negari minime potest has epistulas gravitate elocutionis non eminere. Sed hoc ipsum est argumentum eas a Traiano abiudicandas non esse; namque praeter Secundum, qui multifariam principem de industria et propter eloquentiam adulatur[2], inter antiquos scriptores constabat hunc imperatorem non praestitisse elegantia dictionis, vide Cassium Dionem LXVIII 7, 4 (ed. Boissevain vol. III 192): *Παιδείας ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις οὐ μετέσχε, τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἠπίστατο καὶ ἐποίει*, Ps.-Aurelium Victorem epit. 13, 8: 'Magis simpliciora aut eruditissimos, quamvis ipse parcae esset sententiae moderateque eloquens, diligebat'. Nimirum eloquentia apparet solis in epistulis arte conceptis ut Plinii in libris I—IX; quare hoc ipsum optime cum Traiani animo rerum gerendarum peritissimo convenit, quod responsa dare solebat ut simplicia ita plana ac perspicua[3].

Restat iam, ut ea tractemus, quae pertinent ad fata, quae hic liber temporum cursu perpessus est; nam etiam inde, qui epistulas spurias existimant, argumentum eruerunt, et licet C. Gu. I. Wilde iam hoc quoque redarguerit[4], tamen huius rei summam repetere iuvat: Plinii et Traiani epistularum unus codex usque ad aetatem mediam conservatus 1500 fere anno in Gallia inventus et inde per Aloysium Mocenicum senatorem Venetum in Italiam est transportatus[5], ubi, postquam complura apographa hodie amissa ex eo excepta sunt, periit. Cum res ita se haberet, permulti docti viri auctoritatem harum epistularum probari posse omnino negaverunt, quia nullus codex esset conservatus[6]. At bene evenit, quod E. G. Hardy anno 1888 in bibliotheca Bodleiana reperit exemplar epistularum Plinii, quod praeter editionem anno 1498 a Beroaldo

[1] L. l. 19—23. [2] Plin. pan. Trai. 47, 1.

[3] Vide M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* II 2, 274 sq.

[4] L. l. 14 sqq.; vide etiam 35, M. Schanz l. l. 274.

[5] Vide Aldum Manutium in praefatione editionis suae a. 1508 confectae et H. Keil in editione maiore Lipsiae 1870 p. XXII.

[6] De hac controversia inspiciendus est C. Gu. I. Wilde l. l. 14 sqq.

emissam et epistulas Plinii et Traiani 41—121 anno 1502 ab Avantio editas continet etiam reliquias apographi cuiusdam, quod complectitur epistularum l. VIII 8 § 3—18 § 11 et ad Traianum epistulas 1—40[1]. In hoc apographo Merrill, quem Ioh. Meyer sequi non dubitat[2], Budaei viri doctissimi manum cognosci demonstravit[3], qui anno 1508 in libello, qui inscribitur 'Annotationes ad Pandectas', primum praeter alias etiam priorum 40 Plinii et Traiani epistularum mentionem movet, quae in editionibus ante primam Aldinam factis desiderabantur. Apparet autem Budaeum Aldinam editionem adhibuisse nequire, cum ipsius prima Pandectarum editio emitteretur prid. Nonas Novembres 1508 Parisiis et praefatio ad Aldinam primam prae se ferat 'Venetiis mense Novembri MDVIII'[4]. Inde sequitur, ut Budaeus codicem ipsum illum vetustissimum adhibuerit et Parisiis quidem[5], priusquam codex ab Aloysio Mocenico in Italiam transportatus est[6]. Quare ea pars libri Bodleiani, in qua exstant Plinii epistulae ad Traianum 1—40, putanda est instar codicis Parisini ipsius neque iam licet de fide ipsius codicis aut eorum virorum, qui illum se adhibuisse profitentur, dubitare[7].

Sed postquam argumenta, quae pertinent ad totum librum epistularum inter Plinium et Traianum mutuarum, perscrutati sumus, iam transeamus ad epistulas 96 et 97 de Christianis tractandas.

Primum praebeo indicem siglorum Kukulae, cuius editione usus sum adque quam ubique specto[8]:

---

[1] E. G. Hardy in *Journal of Philology* XVII 1888, 95—108; vide eiusdem ed. Plin. epist., London 1889, 62—72. [2] L. l. 3.

[3] *On an Bodleian copy of Pliny's letters* in *Class. Philol.* II 1907, 129—156.

[4] Vide C. Gu. I. Wilde l. l. 18, 2; Keilii ed. XXIII.

[5] Annotationes Guilelmi Budaei . . . in XXIV Pandectarum libros, Lugduni 1551, 146: 'Nos integrum . . . ferme Plinium habemus: primum apud Parisios repertum opera Iucundi sacerdotis, hominis antiquarii architectique famigerati.'

[6] C. Gu. I. Wilde l. l. 19 refutavit argumenta ab adversariis contra hanc sententiam congesta.

[7] Id, quod P. Hochart fecit 100 sqq.

[8] Vide Kukulae editionem Lipsiae 1908, 264.

B: exemplar bibliothecae Bodleianae, saec. XV/XVI, ab Hardeio repertum [1].

A: Hieronymi Avantii editio princeps a. 1502, continens epistulas 41—121.

a: Aldi Manutii editio a. 1508.

Cat.: I. M. Catanaei editio altera a. 1518.

K. I: lectiones Keilii editionis a. 1853.

K. II: lectiones Keilii editionis a. 1870.

Hard.: Hardei edit. a. 1889.

Merr.: Merrilli edit. a. 1903.

Muell.: C. F. W. Muelleri edit. a. 1903.

Iamque textus sequatur Kukulae mihi probatus.

Ep. 96: 'Sollemne est mihi, domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? [2] Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio, quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. 2. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant, detur paenitentiae venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit [3], nomen ipsum [4], si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in [5] iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. 3. Interrogavi ipsos, an essent Christiani. Confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus: perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, pertinaciam [6] certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. 4. Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine plures species inciderunt. 5. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens. Qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram

[1] De quo conferas supra 39 sq.

[2] *instruere* a, K. II, *extruere* A, K. I, *excutere* Beroaldus.

[3] *deturne* a. [4] *ipsum etiam si* a. [5] *in* add. Cat.

[6] *pervicaciam* a.

cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo, quorum nihil posse cogi[1] dicuntur, qui sunt re vera Christiani, dimittendos esse putavi. 6. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti. Hi quoque[2] omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt et Christo male dixerunt. 7. Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi[3] ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. 8. Quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere[4]. Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam, immodicam. Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri. 9. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates[5] tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. 10. Certe satis constat prope iam desolata templa coepisse celebrari, et sacra sollemnia diu intermissa repeti pastumque venire victimarum, cuius[6] adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus'.

---

[1] *cogi posse* a.

[2] *viginti quoque. Omnes et* A a, K. I; *viginti quinque. Omnes qui* Rittershusius, Hard., qui quidem pro *qui* habet *et*; *viginti. Hi quoque omnes et* K. II, Lightfoot, Merr., Muell.

[3] *coeundi* om. A, K. I.

[4] *quaerere. Sed nihil* a.

[5] *neque enim civitates* a.

[6] *passimque venire victimas, quarum* a, Muell., *pastumque* (*passumque* A) *venire victimarum, cuius* B A, Beroaldus, Hard., Merr.

Ep. 97 (Traiani rescriptum): 'Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. 2. Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando dis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam[1] ex paenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli in[2] nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est'.

In his duabus epistulis pertractandis primum exquirere aggredior, quatenus in iis elocutio cum dictione et Plinii et Traiani aliunde nota consentiat.

§ 1. 'Sollemne' vocabulum est proprium Plinii; ep. 116, 2: 'ex sollemnibus causis'. Allocutionem 'domine' Traiani aetate praesertim in epistulis negotialibus fuisse cotidianam supra 37 dixi. Omnium 71 Plinii ad principem epistularum in solis 5 appellatio deest[3]. Octagies semel (in nonnullis enim epistulis Secundus bis imperatorem 'domine' allocutione salutat) legimus 'domine', quater 'imperator'[4]. Per verba 'Sollemne est mihi, domine, omnia, de quibus dubito, ad te deferre' legatus significat ab imperatore sibi esse datum ius de rebus dubiis ab illo consilii petendi[5]. Atque recte Fr. Arnold dicit[6] in epistulis, quamvis saepe Plinius ut se eripiat ex dubitatione Traianum roget, tamen tantam elocutionis varietatem exstare, ut hoc loco de interpolatione cogitari nequeat; falsarium enim verba a Plinio reliquis locis usurpata repetiturum fuisse certum est. Similes loci, quos ut adeas quaeso, sunt: ep. 43, 4; ep. 45. Cum verbis 'interfui', 'regere', 'cognitionibus' apte comparatur ep. IV 22, 1: 'Interfui principis optimi cognitioni in consilium adsumptus' et ep. 81, 8 ad Tr.: 'Te, domine, rogo, ut me in hoc praecipue genere cognitionis regere digneris',

[1] *praeteritum fuerit, veniam* a.

[2] *in* add. Gierig (h. e. Plin. ep. libr. rec. notisque illustr. Gierig, Lips. 1800. 1802).

[3] Vide Ioh. Meyer l. l. 38.

[4] Ep. 1. 4. 14. 10.

[5] Vide supra 35, 5.

[6] L. l. 239.

cum vocibus 'quid et quatenus' ep. 92: 'quid et quatenus aut permittendum aut prohibendum putares'; ep. 116, 1: 'quod an celebrandum et quatenus putes'; ep. I 7, 5: 'quatenus tu me tuis (sc. versibus) agere non pateris . . .'

§ 2. Cum verbis 'Nec mediocriter haesitavi' conferas ep. 118, 3: 'Hic quoque non mediocriter haereo'.

§ 3. In enuntiato 'perseverantes duci iussi' nonnulli viri docti propterea offenduntur, quia poena, ad quam Christiani sunt ducti, desideratur[1]. Sed ex antecedentibus verbis 'confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus' per se intellegitur ad sequens 'duci' esse supplendum 'ad supplicium'[2].

§ 4. Verba 'ipso tractatu' legimus etiam in ep. 17a: 'quod ex ipso tractatu magis ac magis necessarium intellego'.

§ 7. Cum ex hac praecipue paragrapho argumenta de interpolatione Christiana ducta sint, in eius ipsius verba, quod ad elocutionem pertinet, diligentissime Fr. Arnold inquisivit, cuius praestantissima exempla attulisse satis habeo. Verbo 'adfirmare' testium indicia introducere est Plinii consuetudo; ep. 31, 3: 'quantum adfirmatur', ep. VII 27, 12: 'adfirmantibus'. Sententiae 'hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris' similem constructionem Secundus posuit ep. V 13, 2: 'Summa defensionis', ibid. 4: 'sententia . . ., cuius haec summa'; VII 26, 3: 'Haec summa curarum, summa votorum'; I 22, 8: 'summa valetudinis'. 'Stato die' legimus etiam ep. IX 39, 1 ep. IV 30, 2: 'ter in die statis auctibus'. Ad verba 'carmen dicere secum invicem' afferre prodest ep. III 7, 15: 'invicem se mutuis exhortationibus . . . exacuunt'. 'Obstringere' vocabulum eodem quo hic sensu exhibetur ep. VIII 12, 3; vide etiam ep. VII 20, 7: 'cum tot vinculis nos studia . . . con-

[1] Vide I. L. Ussing l. l. 6.

[2] Ut iam recte docuerunt P. Dupuy *Annales de la faculté des lettres de Bordeaux* II 1880, 190; C. Gu. I. Wilde l. l. 77 in subsidium vocat Tert. ad Scapul. c. 5: 'Paucis duci iussis'. — Benigne d. v. Fr. Münzer me admonuit 'aliquem duci iubere' verba (nostrum *einen abführen lassen*) fortasse terminum technicum esse pro 'aliquem ad supplicium duci iubere' attulitque Sen. apocol. 6, 2: 'Ille autem (sc. imperator Claudius) Febrim duci iubebat.'

stringant'. Ad 'ne furta . . . committerent' conferas ep. I 5, 1: '. . . flagitia commiserat'.

'Ne depositum appellati abnegarent': vide ep. V 10, 1: 'appellantur' h. e. flagitantur.

'Quibus peractis': vide ep. V 9, 4: 'peractis negotiis'; ep. II 17, 2: 'peractis, quae agenda fuerint'.

'Ad capiendum cibum': vide ep. III 16, 8: 'cibum capiat'.

'Promiscuum tamen et innoxium': vide ep. ad Tr. 3 a, 1: 'promiscue'; ep. II 3, 6: 'res . . . innoxia'; ep. VII 26, 3: 'innoxiam beatamque . . . vitam'; ep. V 3, 2: 'innoxiae remissionis genera'.

'Secundum mandata tua': vide ep. ad Plinium a Traiano missam 30, 1: 'Secundum mandata mea'.

§ 8. 'Quo magis necessarium credidi': vide ep. 114, 3: 'necessarium existimavi'; ep. 56, 2: 'necessarium credidi'; ep. 17 a, 3.

'Quid esset veri': vide ep. III 14, 6: 'Quid . . . novi?'

'Superstitionem pravam': vide ep. IX 33, 9: 'religione prava'; ep. VI 2, 2: 'nimia superstitione'.

'Immodicam': vide ep. II 14, 10 et IX 26, 6: 'immodicum'; ep. I 20, 21: 'inmodice'.

§ 9. 'Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri': vide ep. 72: 'ideoque rem integram distuli, dum tu, domine, praeceperis, quid observare me velis'.

Rescripti Traiani de elocution ehaec dicenda sunt: imperator legatum per 'mi Secunde' alloquitur, unde ipsum huic Plinii epistulae responsum dedisse apparet[1]. Neque hoc mireris, quod amicum in ea tam difficili re suo ipsius consilio adiuvare maluit quam rescriptum ab aliquo scriba concipi. Huc accedit, quod in epistula 97 nusquam non reperimus Traiani genus dicendi. Ad verba 'quem debuisti' bene comparamus ep. 16: 'Recte renuntiasti, mi Secunde carissime'. 'Excutere' est verbum ipsius imperatoris proprium; is enim in rescripto quodam (ep. 18 § 3), quod ipse scripsit (vide § 2), dicit: 'Rationes... rerum publicarum excutiendae sunt' et infra:

[1] Vide supra 35.

'Modo velis diligenter excutere'. Quod pertinet ad enuntiatum 'neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest', princeps saepius ne in perpetuum vel in universum daret edictum cavit; vide ep. 66, 1: 'nec quicquam invenitur in commentariis eorum principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes provincias sit constitutum', et ep. 113: 'Honorarium decurionatus omnes . . . inferre debeant necne, in universum a me non potest statui'; item ep. 109: 'Quo iure uti debeant . . . . ex lege cuiusque animadvertendum est'.

Dehinc iam aggrediamur res ipsas tractare, quae argumenta contra auctoritatem et Plinii interrogationis et Traiani responsi doctis viris praebuerunt.

§ 2. P. Hochart verba 'Nec mediocriter haesitavi' absurda esse iudicat, cum Plinium, priusquam in provinciam abierit, decuerit de Christianis se instruere[1]; praeterea eum fuisse peritiorem totius iuris, quam ut de ea re imperatorem consuleret[2]. At Plinius neutiquam est iuris peritissimus: nam ipse non tam in causis publicis et criminalibus apud praetorem agundis est versatus quam in centumviralibus[3], in quibus res privatae modo agi solebant[4]. Inde accidit, ut a peritioribus iuris consilio saepius adiuvetur[5] vel gnariorem se fieri velit[6]. Quare nec mirandum est, quod legatus de Christianorum re sibi insueta atque incognita praestare arbitratur principis sententiam exquirere, praesertim cum ab eo consilium petiverit etiam, ubi edicta sive Traiani ipsius vel antecedentium Caesarum de aliqua re ei erant nota. Ep. 65 quaestio est de condicione et alimentis eorum, quos vocant *θρεπτούς*; questus, quia nihil invenisset aut proprium aut universum, quod ad Bithyniam referretur, tamen edictum divi Augusti, epistulas Vespasiani, Titi, Domitiani huc spectantes

---

[1] L. l. 85 sqq. [2] L. l. 83 sq.

[3] Vide ep. VI 12, 2: 'in harena mea, hoc est apud centumviros'; ep. II 14, 1: 'Distringor centumviralibus causis, quae me exercent magis quam delectant'; ep. I 5, 4 sqq. — De hac re inspiciendus est Th. Mommsen l. l. 438, et Gast. Boissier *Revue archéol.* XXXI 2, 1876, 117.

[4] De centumviris conferas M. Wlassak in PWR III 2, 1940 sqq.

[5] Vide ep. 6, 1. [6] Vide ep. VIII 14, 1.

se nosse confitetur. Sed nihilo setius, qua est cautione, imperatorem censet consilii causa adeundum dicens: 'quia vera et emendata in scriniis tuis esse credebam' (65, 3 fin.)[1]. Sed in hac de Christianis re etiam sollertiorem se praebet quam alioqui; nam quod gravissimum est, Christianos esse sectatores, in quos esset animadvertendum, recte cognovit atque secundum hanc cognitionem egit[2]. Haesitat autem de rebus quibusdam haud ita gravibus, quarum certe, qui cognitionibus de Iesu cultoribus actis nunquam interfuerat, veram notitiam habere non potuit (vide § 2). Hochartii igitur suspicio est reicienda, qui num Plinius 'Nec mediocriter haesitavi' scripserit, dubitat.

Verba protinus 'Cognitionibus de Christianis (non dicit, ubi) interfui numquam' inter viros doctos permagnam disceptationem civerunt. Quorum Maurice Goguel[3] permirum esse dicit, quod Plinius his cognitionibus nunquam sese interfuisse confessus tamen leges quasdam de sectatoribus tractandis novisse videatur, cum verbum 'soleat' in paragrapho prima posuerit; unum nempe ex duobus fieri posse: aut revera tunc exstitisse de Iesu cultoribus aliqua decreta, quod ipso verbo 'soleat' exprimi videatur, iamque optimo iure quaeri, qui fiat, ut procurator eius provinciae, in qua sectatores ad tantum numerum accreverint, nihil certius, quomodo in eos procedendum sit, sciat; aut non fuisse ulla edicta de Christianis, tum vero perspici non posse, quid Plinius voce illa 'soleat' dicere velit. At ex verbis 'soleat' et 'cognitionibus de Christianis interfui numquam' quid verum sit elucet: revera Plinium aliquam notitiam habuisse illorum sectatorum[4].

---

[1] Vide ep. 79, ubi proponit legem Pompeiam et edictum Augusti, e quibus materia diiudicari possit. Attamen principem consulit, ne quid peccet.

[2] § 2—8; de hac re inspiciendus est K. Ioh. Neumann *Der röm. Staat u. die allgemeine Kirche* Leipzig 1890, I 20.

[3] *L'eucharistie des origines à Iustinus Martyr*, Paris 1910, 261.

[4] Fr. Arnold l. l. 256sq. et C. Gu. I. Wilde l. l. 70 recte mihi conicere videntur Secundum, cum anno 81 tribunus in Syria militaret (vide Th. Mommsen l. l. 413), procul dubio etiam de Christianis nonnulla comperisse, qui imprimis in ea terra florerent; de quo conferas A. Harnack *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*

Praeterea ex distinctione 'aut puniri soleat aut quaeri' dilucide apparet eum aliquo modo de cognitionibus super Christianis habitis quaedam audivisse; neque enim vocabulum iudicibus sollemne 'cognitio' usurpavisset, ni satis scivisset cognitiones revera iam actas esse. Quare suo iure verbum 'soleat' posuit. Attamen ipsemet cognitionibus nunquam interfuit, quapropter singularum rerum ad talem causam pertinentium observandarumque est imperitus.

Neque magis valet Aubéi argumentum dicentis inepte Plinium se gerere, ut qui primum interroget 'quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri' ac deinde ipse internoscat inter 'nomen et flagitia cohaerentia nomini'[1]; nam haec verba non discrepare apparebit: Plinius, postquam summatim se haesitare confessus est, quid et quatenus aut puniri aut quaeri soleret, exponit, quomodo verba 'quid et quatenus' intellegi velit, dum singula, quae in quaestionem venire possunt, enumerat. Hoc enim loco sequens copula 'nec' paragraphi secundae habet vim explicantem '*und zwar nicht*', quae significatio huius vocis inde a temporibus Ciceronis usitata est[2]. Similiter Plinius etiam in 92 et 116 ad Traianum datis epistulis primum quomodo res se habeat, exponit, dehinc quid et quatenus de eadem re cogitandum sit, quaerit.

P. Dupuy vero ex iisdem verbis argumentum perquam grave contra auctorem epistulae duci posse opinatur, qui interrogat, quidnam sit distinctionis inter 'nomen' et 'flagitia nomini cohaerentia'; nam nomen esse crimen, flagitia et ipsa habenda pro criminibus[3]. Et M. Goguel huc usque

---

Leipzig 1902, qui p. 409 loca Syriae nominat, in quibus primo iam saeculo Christiani erant, quod etiam ex act. 15, 23 apparet. De Plinio in Syria versante vide ep. I 10, 2.

[1] *Histoire des persécutions de l'église jusqu'à la fin des Antonins*, Paris[2] 1875, 212; L. Aubé quidem cunctas contra auctoritatem epistulae rationes easdem et in prima et in altera editione collatas p. 218, 1 alterius editionis ipse reiecit. Attamen interdum oportebit eius argumenta (ubique alteram editionem specto) commemorare, cum nonnulli docti viri illius argumentis inniti non desierint.

[2] Cic. p. Quinct. 4, 15; legg. I 128; de hac eius vocabuli vi inspiciendus est A. Draeger *Hist. Syntax d. lat. Sprache*, Leipz.[2] 1881, II 70 sq.

[3] L. l. 189.

est progressus, ut 'nomen' vocem a Christiano interpolatam esse iudicet[1]. At Secundus consulto ita distinguit vocabulumque 'nomen' optime locum suum tenet. Nam Christiani numerantur inter hetaerias ab imperatore vetitas atque ut inlicitas coercendas[2]. Christianus igitur per se quisque puniendus est, quia hoc nomen prae sese fert[3]; leges enim de hetaeriis omnisque generis associationibus necessario in eum adhibebantur[4]. Sed hi ipsi sectatores flagitiis quibusdam indulgere dicebantur, quod idem Plinius quoque ab aliis[5] haud dubie comperit[6]. Tamen ipse flagitia in iis cognoscere non potest, de quibus quaestionem habet; nihilo setius alios noxios esse sumit. Iamque habet duo genera sectatorum: qui sunt sine flagitiis, et qui iis obstringuntur; itaque cogitur quaerere, utrum sectatores ob flagitia tantum puniri debeant an etiam, si flagitiis innocentes sodalicii modo convincantur. Ergo Dupuyi et Gogueli discrepantia, quae dicitur, facile explicatur.

Etiam sunt, qui verba 'sitne aliquod discrimen aetatum an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant' Christiani hominis ingenium sapere contendant[7]. Sed iurisdictione Romanorum aetatis et sexus distinctionem factam esse constat[8]. Ita legatus quoque in poenis statuendis aetatis rationem habere solebat; ep. 31 imperatorem interrogat, quomodo trac-

---

[1] L. l. 261. [2] Vide § 7.

[3] Ut recte animadverti C. Gu. I. Wilde l. l. 78.

[4] Vide H. Schiller *Gesch. d. röm. Kaiserzeit* I 581.

[5] Nam ipse flagitia non invenit, neque quisquam in libello illo sine auctore proposito (§ 6) ea nominata esse sumet.

[6] De flagitiis infra agendum erit 53.

[7] P. Dupuy l. l. 188.

[8] Vide Ulpianum Dig. 48, 13, 7: 'Sacrilegii poenam debebit proconsul pro qualitate personae proque rei condicione et temporis et aetatis et sexus vel severius vel clementius statuere'; H. Francke *Zur Gesch. Traians*, Güstrow 1837, 547; C. Gu. I. Wilde l. l. 73; K. I. Neumann l. l. I 22; Th. Mommsen *Röm. Strafr.* 928 sqq. et 1042, 2; idem *Der Religionsfrevel nach röm. Recht* in *Jur. Schr.* III 411, 2 putat hanc distinctionem a Plinii consilio esse propositam; quod non necesse est; nam, ut supra demonstravi, Plinius ipse ita discernere est solitus atque imperatoris sententia de ea re perspecta (ep. 32, 2) in Christianorum cognitionibus facere non potuit, quin iterum hoc discrimen observari vellet.

tentur oporteat servi, ubi legimus § 3: 'Nam et reddere poenae post longum tempus plerosque iam senes et quantum adfirmatur, frugaliter modesteque viventes nimis severum arbitrabar'. Nec minus humanum Traianus se praestat, qui rescribit ep. 32, 2: 'Si qui vetustiores inveniuntur et senes ... distribuamus illos in ea ministeria, quae non longe a poena sint', quo edicto id agitur, ne ipsis poenis afficiantur. Itaque vix mirum sit, quod Plinius etiam in Christianorum cognitionibus hoc aetatis discrimen respici vult.

His dictis dilucide apparet in duabus prioribus paragraphis nullam exstare discrepantiam, immo omnia plana et genuina esse.

§§ 3—8. In sequentibus paragraphis 3—8 Plinius, quomodo in sectatores animadverterit, exponit. Quibus inesse P. Dupuy iudicat permultum dissensionis, cum legatus imperatoris sententiam exquirat ac tamen ipse agere non dubitet; quin etiam admirationem ciere, quod Secundus ceteroqui tam timidus in ea re se praebeat valde strenuum; et interpolatorem Christianum, cuius operae haec enuntiata debeantur, hoc recte sensisse ideoque addidisse: 'Neque enim dubitabam' (§ 3). Ita falsarium imitatum esse optime Plinii stilum, ingenium minime[1]. At huic rationi opponendum est Plinii maxime interfuisse celerrime rei, ut quam in summum discrimen iam progressam esse putaret, succurrere; vide eius verba § 9: 'Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus et vocantur in periculum et vocabuntur, neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est'; atque ut legatus infra § 10 pergit, templa iacebant desolata, sacra sollemnia intermittebantur, vix inveniebatur emptor victimarum. Quo cum condicio esset deducta, Plinius diutius morari non potuit in sectatores provehi, atque etiam ob eam causam in eos animadvertere debebat, ne forte Traianus levi cum vituperatione rescriberet: 'Potuisti non dubitare in Christianos procedere, qui meum edictum de hetaeriis nosses'[2]. Immo cum hoc edictum de

[1] L. l. 190. Item P. Hochart l. l. 88.

[2] Vide ep. 82, 1, ubi Traianus respondet: 'Potuisti non haerere, mi

hetaeriis associationibusque coercendis cognitum haberet, cogebatur ratione publica novos sectatores, qui huic edicto repugnabant, punire (§ 3): 'Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri'. Eum autem de singulis parvis momentis in dubio haesitare potuisse iam supra 47 demonstravi. Tamen inde non licet conicere in legati ratione agendi esse permagnam dissensionem, id quod etiam Traianus ipse procuratoris actionem approbatione dignatus refutat scribens: 'Actum, quem debuisti, . . . secutus es'. Quo cognito Dupuyi argumentatio corruit.

Paragraphi quintae verbum 'maledicere' P. Dupuy in suspicionem vocat, quod vocabulum significat 'verbis contumeliosis odium et contemptum exprimere'; dicit enim leges Romanas nunquam civibus, quae sentienda essent, praecepisse [1]. At Christianos revera coactos esse Iesu maledicere primae epistulae ad Corinthios missae locus quidam probare videtur I Cor. 12, 2 sq.: *Οἴδατε, ὅτι, ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀγαγόμενοι. διὸ γνωρίζω ὑμῖν ὅτι οὐδεὶς ἐν πνεύματι θεοῦ λαλῶν λέγει· ἀνάθεμα Ἰησοῦς,* et martyrium Polycarpi, qui anno 169 supplicio est affectus [2]: *Ἐγκειμένου δὲ τοῦ ἡγουμένου καὶ λέγοντος· ὄμοσον καὶ ἀπολύω σε· λοιδόρησον τὸν Χριστόν, ἔφη ὁ Πολύκαρπος· ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ καὶ οὐδέν με ἠδίκησεν, καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου τὸν σώσοντά με;* [3]

Praeterea M. Goguel in sententiis 'quorum nihil cogi posse, qui sunt revera Christiani' interpolatorem deprehendi ducit [4]. Sed his verbis ne minima quidem offensio inest, immo res per se facillime explicatur [5]: Plinius nihil studet inexpertum

---

Secunde carissime, circa id, de quo me consulendum existimasti, cum propositum meum optime nosses . . .' Th. Mommsen *Religionsfrevel* in *Jur. Schr.* III 410 recte ostendit magistratuum, ergo etiam legatorum provinciarum fuisse in noxios cuiusque modi ex sua potestate animadvertere.

[1] L. l. 191.

[2] C. 9 (Patrum apostolicorum opera rec. Gebhardt, Harnack, Zahn II 146).

[3] Quod exemplum etiam Fr. Arnold l. l. 265, 8 affert.

[4] L. l. 261.

[5] G. Steck *Plinius im Neuen Testament, Jb. f. protest. Theol.* XVII 1891, 554; similia protulit E. Ch. Babut *Remarques sur les deux lettres*

relinquere, quo animos Christianorum explorare possit; ergo sectatores iterum atque iterum confitentes ad supplicium duci iubet, sed qui negant esse se Christianos aut fuisse, deos appellare et imperatoris imagini numinumque simulacris supplicare[1]. Nec satis: comperit enim — incertum est, unde — homines vere Christianos cogi nequire Christo[2] ut deo valedicere; neque hanc extremam rationem adhibere aspernatur legatus cognoscendi causa, revera fidem in Iesum omiserint necne[3]. Recte igitur R. Steck animadvertisse mihi videtur hanc totam sententiam non tam ex religione Christiana quam e Romanorum iure esse iudicandam.

Neque etiam verba, quae leguntur § 7: 'Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris . . .' adversarii Plinianae auctoritatis iterum atque iterum carpere desierunt. Ac perquam variae sunt causae prolatae, quibus ostendatur, quam facile in illis sententiis Christianus fraudator pernosci possit. Sunt enim, qui testimonia de vita moribusque sectatorum benevolentiora esse censeant, quam quae ab apostatis ipsis emitti potuerint[4]; ita P. Hochart Christianos secundum Plinii epistulam esse homines iustos bonosque cives dicit[5]. Neque vero difficile est intellectu, cur ii, quicumque fidem in Iesum deponebant, nulla crimina in Christi cultores volverint. K. I. Neumann enim recte suspicatur auctorem epistulae hoc loco responsa quaedam sectatorum reddidisse, quae in cognitionibus ab illis ad quaestiones quasdam per iudices praestitutas data essent[6]. Verba 'ad capiendum cibum promiscuum . . . et innoxium' respondere ad quaestionem de

---

de Pline et de Trajan, relatives aux Chrétiens de Bithynie in *Rev. d'hist. et de litt. rel.* I 1910, 294. 299.

[1] Vide Th. Mommsen *Religionsfrevel* in *Jur. Schr.* III 393. 394, 3. 395.

[2] Quod hic 'Christus' nomen exstat, non est mirum, id quod P. Hochart 91 putat: Christus est auctor Christianorum. Si hoc loco 'Iesus' nomen legeretur, iam potius de interpolatione cogites.

[3] Optime igitur Plinius intellegit sectatores non ad veterem Romani imperii cultum reduci posse, donec Christum novum deum non deserunt; vide Th. Mommsen l. l. 404.

[4] P. Dupuy l. l. 192. Bruno Bauer *Christus und die Cäsaren*, Berlin 1877, 270; L. Aubé l. l. 212sq.; E. Desjardins l. l. 657; M. Goguel l. l. 261sqq. [5] L. l. 88sq. [6] L. l. 21.

epulis istis, quae vocabantur *Θυέστεια δεῖπνα* [1], verba 'ne adulteria committerent' ad crimen *Οἰδιποδείων* quae dicebantur *μίξεων* [2]. Ita vero interrogavit Plinius, ut erueret, quatenus rumori de flagitiis sectatorum fides haberi posset. Sin autem res ita se habet, ii, qui abnegabant, non tam benevolentiam fidelibus praestare volebant quam id spectabant, ut etiam tum a flagitiis se abhorruisse ostenderent, cum illius sectae partem sequerentur, neque iam ob flagitia antea commissa puniri posse.

G. Boissier ipse verba 'seque sacramento ... abnegarent' expungi oportere censet, cum hoc loco 'sacramentum' voci significatio eucharistiae inhaereat [3]. At Plinius id vocabulum hic usurpat notione iurisiurandi velut posuit pro iureiurando militari in ep. 29, 2: 'sacramento militari'. Deinde quaeritur, quidnam commune sit eucharistiae Christianorum cum promisso non furta, non latrocinia, non adulteria fore. Atque vero ut Christianus falsarius haec verba in textum immiserit et per sacramentum eucharistiam intellegi voluerit, sane perquam inepte se gessit. Nam multo magis ad eucharistiam referantur ea demum, quae subsequuntur, verba: 'Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium' [4]; qui interpolator id praeterea peccavit, quod Iesu discipulos iureiurando obstringi posuit, cum illorum plurimos iureiurando abstinuisse satis constet [5]. Cumque ita sensus horum verborum differat a doctrina ecclesiae Christianae, minime est, cur hunc locum a Christiano subditum esse iudicemus. Immo haec ipsa verba pro genuinis habemus, et Plinius sub voce 'sacramentum' nihil aliud intellexit nisi iusiurandum. Inde cognoscimus Christianos Bithyniae quodam modo a ceteris abhorruisse, cum sacramento, ut vitam probe et honeste agerent, sese obligarent.

[1] Minucius Felix, Octav. c. 9; vide Th. Keim *Rom und das Christentum*, Berlin 1881, qui 363, 3 locos huc spectantes contulit.

[2] Minuc. Felix c. 9. 28. 30; Th. Keim l. l. 364.

[3] *Rev. archéol.* XXXI 2, 1876, 122.

[4] Ut recte cognoverunt Fr. Arnold *Theolog. Studien u. Skizzen aus Ostpreußen* I 1887, 239; K. I. Neumann l. l. I p. 21; K. Weizsaecker *Das apostol. Zeitalter der christl. Kirche* Freiburg i. B. 1886, 569 sqq.

[5] Vide Fr. Arnold l. l. 238. Matth. 5, 35.

Nihil denique tertium argumentum adversus huius loci auctoritatem valet arcessitum ab iis, qui in nulla alia praeter hanc epistula rationem haberi hetaeriarum mirantur[1]. Quamquam enim Plinius in § 7 aperte dicit: 'secundum mandata tua hetaerias esse vetueram', minime ob eam rem postulandum est, ut iam in aliqua priore epistula de hetaeriis sit dictum; nam cum epistulas perlustramus, nos praeterire nequit permultas res nonnisi semel esse tractatas[2]. Attamen opportune evenit, quod etiam in nonnullis, quae antecedunt, epistulis res agitur de sodalitatibus cuiuscumque generis[3], unde cognoscimus Traianum factiones provinciae periculosas existimasse. Ita ep. 34, 1 imperator Plinio collegium fabrorum Nicomediae constituturo (ep. 33) obloquitur: 'Sed meminerimus provinciam istam et praecipue eam civitatem eius modi factionibus esse vexatam. Quodcumque nomen ex quacumque causa dederimus iis' (animum intendas quaeso, quanta cautio verbis insit) 'qui in idem contracti fuerint . . ., hetaeriaeque brevi fient'; ep. 93 ei permittit, ut Amisenos beneficiis quibusdam afficiat, 'si tali collatione non ad turbas et ad inlicitos coetus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam utantur', pergitque: 'In ceteris civitatibus, quae nostro iure obstrictae sunt, res huius modi prohibenda est'[4]. Plinium, ut principis iussis parere solebat, hoc mandato accepto hetaeriae ne essent edixisse veri simile est, unde suo iure plusquamperfectum tempus 'vetueram' hoc loco § 7 adhibuit.

Permagna deinde de § 9 est orta disceptatio inter eos, quicumque hunc locum excusserunt, imprimis quidem de verbis: 'Multi enim . . . contagio pervagata est'. Obtrectatores enim

---

[1] P. Dupuy l. l. 191.

[2] Vide ep. 31. 65. Exempla facile cumulantur.

[3] Epistularum huius libri ordinem temporis, quo conscriptae sunt, observari moneo; Th. Mommsen *Hist. Schr.* I 388sqq.; Ioh. Meyer l. l. 33—35.

[4] Marcian. Dig. XLVII 22, 1: 'Religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum quo illicita collegia arcentur'. Vide de hac re etiam Th. Keim *Rom und das Christentum*, Berlin 1881, 112; A. Linsenmayer *Die Bekämpfung des Christentums durch den röm. Staat*, München 1905, 18. 21. 35. 36; Kornemann in PWR s. v. *Collegium* IV col. 409sqq.

Plinianae originis illis temporibus numerum Christianorum negant fuisse tantum, ut cultus publicus adeo in discrimen adduceretur [1]; immo Origenem contr. Cels. VIII 69 (ed. Lommatzsch XX 214) aperte confiteri sua aetate, h. e. saeculo tertio, Christianos fuisse perpaucos: *Τί χρὴ νομίζειν, εἰ μὴ μόνον, ὡς νῦν, πάνυ ὀλίγοι συμφωνοῖεν, ἀλλὰ πᾶσα ἡ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἀρχή* [2]. Sed sectae novae multitudini Bithyniae diffidere minime licet; neque huic loco contra Plinium Origenes testis advocari potest, qui, prout res postulat, numerum Iesu fidelium appellat modo parvum, modo ingentem [3]. Ut unum exemplum afferam, ille contr. Cels. I 26, 27 (ed. Lommatzsch XVIII 56. 58) laeto animo pronuntiat Christianorum sectam esse novam ac tamen per tot terras propagatam [4]. Et prodest fortasse in subsidium vocare Tertulliani testimonium, qui apol. 37 [5] exclamat, si Christiani repentino a negotiis atque omnino a vita publica recedant, fore ut totum imperium sit vasta solitudo [6], quo loco G. Boissier recte monuit Tertullianum, licet haec arte rhetorica in maius efferret, tamen veritati plane repugnare non potuisse, cum ethnicos adiret ideoque ne mendacium emitteret nimis perspicuum, cavere deberet [7]. Denique sumendum est in Ponti et Bithyniae provincia sectatores Christianorum plures fuisse quam alibi, praesertim cum Paulus apostolus ipse ad Ancyram Galatiae progressus esset, quae a meridie Bithyniae continuatur, unde facile nova doctrina percrebrescere potuit. Sin autem profecto fieri potuit, ut Christiani in aliqua regione tunciam ad tantum numerum accre-

---

[1] L. Aubé l. l. 213 sqq.; E. Desjardins l. l. 657; P. Dupuy l. l. 193; P. Hochart l. l. 90; M. Goguel l. l. 262.

[2] L. Aubé l. l. 214; E. Desjardins l. l. 657.

[3] Ut acute demonstravit C. Gu. I. Wilde l. l. 92.

[4] Vide contr. Cels. III 10 (ed. Lommatzsch XVIII 263): *Ὅτι μὲν οὖν συγκρίσει τοῦ ἐξῆς πλήθους ὀλίγοι ἦσαν ἀρχόμενοι Χριστιανοί, δῆλον. Καίτοι οὐ πάντη ἦσαν ὀλίγοι.*

[5] Ed. Oehler I 250 sq. Apologeticus scriptus est post a. 197, vide M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* III[2] 289.

[6] Tert. l. l.: 'Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa'. Vide etiam Iustinum, dialog. c. Tryph. 117; C. Gu. I. Wilde l. l. 91 sqq.

[7] L. l. 122.

scerent, non est, cur cultum publicum nonnullis locis in periculum vocari esse coeptum non credamus. Atque gravissimum erat, quod victimarii praecipue lucri damnum apud legatum querebantur, qui de hac querimonia haud dubie rei actae modum excedente imperatorem certiorem facere suum esse iudicabat. Denique aliud quoddam animo cogitemus. Plinio, cum vitae partem longe maximam in regionibus imperii Romani, quae ad occasum vergunt, egerit ibique plurimis honoribus sit functus, res quasdam Bithyniae, provinciae ad orientem spectantis, miras atque insuetas fuisse non mirabimur et per se intellegitur eum his Bithyniae rebus simile adhibuisse iudicium atque in Italia. Iam perfacile fieri potuit, ut Christianorum, qui orientis locis plus quam alibi vigerent, multitudinem pro numero sectatorum in Italia eiusve in capite versantium putaret maximam, praesertim si Iesu discipulorum et Bithynorum incolarum numeros inter se compararet. Ita posterioris aetatis scriptores ecclesiastici fidelium copiam, quam cum totius imperii civibus conferrent, suo iure nominaverunt exiguam [1].

Sed L. Aubé miratur, quod Plinius, si condicio sollemnium sacrorum Romanorum revera fuit tam gravis sectatorumque multitudo tam ingens, non prius ei rei providit quam XIV vel XV post adventum mensibus [2]. Ad hoc argumentum respondere poterimus, si Secundi itineris rationem habebimus. Ille quidem, sicut epistulae ad ordinem temporis dispositae ostendunt [3], primo praefecturae anno eas regiones visit, quae ad occasum solis spectant, altero, quae ad ortum [4]. Epistula ad Christianos respiciens exstat inter eas, quae ex regione Sinopae [5] et Amisi [6] exeunte iam legatione sunt missae, et fieri potuit, ut ibi secta nova plus floreret quam iis locis, quae Plinius antea obierat. Quam explicandi rationem G. Boissier nihil valere dicit propterea, quod auctor nullo verbo illas regiones in hac epistula nominet [7]. At reputemus in chirographo ipsius Plinii ad diem in epistula ascriptam etiam loci significationem primitus fuisse additam, quae quidem

[1] Vide supra 55 cum adn. 4. [2] L. l. 216.
[3] Vide 54 adn. 3.
[4] Ut recte viderunt Fr. Arnold l. l. 252 et C. Gu. I. Wilde l. l. 93.
[5] Vide ep. 90. [6] Vide ep. 92. 110. [7] L. l. 125.

postea, ut supra p. 38 explicavi, omittebatur; nec fuit, cur locus, unde epistula esset missa, vel iterum ipsis in litteris appellaretur. Praeterea autem singulas regiones, ubi Christiani erant, nominatim enumerare longum erat, cum religio nova non in 'civitates tantum, sed vicos etiam atque agros' (§ 9) invasisset. Accedit, quod in ep. 93, h. e. brevi ante quam Plinius per ep. 96 imperatorem consulit de sectatoribus, Traianus ei commendaverat, ut inlicitos coetus cuiusque generis curaret compescendos, quo procul dubio factum est, ut tum primum Secundus animum in Christianos quoque adverteret et satis perspicue cognosceret, ad quantum numerum ii iam essent aucti. Ita satis explicatur, cur praefectura iam deficiente Plinius motus sit, ut principis de Iesu cultoribus sententiam exquireret. Ergo ultimum quoque argumentum contra huius epistulae auctoritatem allatum est reiectum.

Atque etiam alia de causa de interpolatione Christiana cogitare non licet. Nam apertum est totum illud de Nazareni magistri discipulis iudicium valde sapere ingenium hominis vere ethnici. Fides Christiana habetur pro superstitione prava, immodica (§ 8), cui qui student, quid sibi velint, ipsi ignorant; nam celeriter parati sunt fidem deserere, modo ne puniantur. Cum contemptione Plinius ut homo doctus atque eruditus loquitur de contagione superstitionis istius (§ 9); accusati prioris cognitionis se praebent pertinaces et obstinatos (§ 3), occupantur amentia (§ 4). Minime sane Christianus interpolator gloriae dei et ecclesiae augendae cupidus talia iudicia de fratribus emisisset. Immo haec ipsa scriptoribus ecclesiasticis causa fuisse videtur, cur, cum Traiani rescriptum commemorare summisque laudibus efferre non desierint, de Plinii epistula praetulerint silere.

Traiani rescripti quoque complures viri docti invenerunt nonnulla, ex quibus id subditum esse concluserunt. M. Goguel igitur hanc esse gravem inconstantiam censet, quod princeps primo quidem in universum se posse constituere quidquam neget, deinde leges quasdam de sectatoribus tractandis in universum sanciat[1]. Sed non est inconstantiae, si quis in

[1] L. l. 262.

perpetuum vel universum quidquam decernere nolle fassus in praesens tamen quaedam observanda constituat[1]. Etiam in epistulis 109 et 113 Traianus legem, quae in universum valeat, sancire abnuit nec tamen in condicione praesenti quid a Plinio agi velit dissimulat. Quod porro H. Schiller admiratus quaerit, cur imperator non adhibuerit[2] Neronis rationem[3] sectae supprimendae, obiciendum est hunc principem ubique quaque cum illo facere esse aspernatum[4].

Iam redeamus ad eos, qui cuncta Traiani rescripta pro subditis habent[5] quique cum aliis responsum ad epistulam de Christianis datum 97 illi derogant, quod Plinius nihil imperatoris rescriptis adiuvetur; in quo maxime interpolatorem deprehendi posse, qui, cum ad legati interrogationem responsum principis addendum censuisset, tamen non suppetisset huic operi recte perficiendo[6]. Iamque rem diligentius inspiciamus. Plinius circuitione quadam quaerit, num recta sint, quae ipse egerit (§ 1; item § 8: 'Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri'); ad quae Traianus in initio rescripti respondet: 'Actum, quem debuisti, mi Secunde, . . . secutus es'. Deinde legatus principi tres quaestiones proponit, primum sitne aliquod discrimen aetatis vel sexus, deinde deturne paenitentiae venia, tum an nomen ipsum, etsi flagitiis careat, puniatur (§ 2). Denique quaestio latet in verbis: 'Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens' (§ 5), scilicet num ipse recte egerit, cum eo libello uteretur ad Christianos quaerendos. Ad primam quaestionem imperator nihil certius rescribit (§ 1); sed sumere licet eum discrimen illud aetatis et sexus fieri voluisse, praesertim cum etiam in alia re priore (vide ep. 32) distinctionem quandam poenarum tribuendarum esse iusserit; iam inde legatus ipse cognoscere potuit, quatenus de Christianis illius discriminis aetatis ratio haberetur. Denique iterum hoc moneo ipsas leges Romanas, ut ita in hominibus puniendis distingueretur, praescripsisse[7], neque est,

[1] Vide H. Schiller l. l. I 580sq.; K. I. Neumann l. l. I 100.
[2] L. l. 449. [3] Vide Tac. ann. XV 44; Suet. Nero 16.
[4] Vide ep. VI 31, 9: '. . . nec ego Nero', quae Traianus dixit.
[5] Vide supra 37 fin. 38. [6] M. Goguel l. l. 262.
[7] Vide supra 49. Th. Mommsen *Röm. Strafrecht* 75sqq. 1042.

cur Traianum imperatorem illum iustissimum clementissimumque a legibus abscessisse putemus. Ad secundam interrogationem paenitentiae locum esse dandum censet. Etiam ad tertiam quaestionem responsum quoddam in verbis § 2: 'si deferantur et arguantur . . . veniam ex paenitentia impetret' implicite inhaeret: cum ii tantummodo, qui omnino Christianos se esse negant, dimittendi nominentur, secundum Traiani iussum omnes, qui nomen Christianum prae se ferunt neque fidem abnegant, puniendi sunt, etiamsi flagitiis carent. Quod denique ad libellum propositum sine auctore multorum nomina continentem pertinet, imperator ut breviter ita generose atque humane respondet: 'Sine auctore vero propositi libelli in nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est'[1]. Itaque, si summam Traiani rescripti amplectimur, confitendum est legatum principis responso valde adiuvari; difficultates sunt sublatae, quibus Plinius laborabat.

Restat denique, ut quam brevissime sententiam examinem eorum, qui etiam rescriptum Traiani ab interpolatore Christiano ad gloriam ecclesiae augendam compositum ducunt. Hoc quidem per se accidere potuit, quoniam non ad omnes Plinii epistulas imperatoris responsa habemus. Cumque Tertullianus apol. 2 et 5 Caesaris edicti mentionem moveat, inde iam, si de interpolatione cogitamus, sequitur, ut hoc testimonium de Christianis aut ante illum aut eius aetate sive ab ipso sive ab alio Plinii epistulis subditum sit. Sed in hoc capite demonstravisse mihi videor Plinii epistulam de Iesu sectatoribus esse genuinam; atque ut haec revera germana, spurium sit Traiani rescriptum, mea quidem sententia vix sumi potest Christianorum fraudatorem responsum addidisse eundemque Plinii interrogationem, qualem hodie legimus, intactam reliquisse, quippe quae contineret satis multas res ecclesiae molestas.

His explicatis omnium argumentorum contra auctoritatem Plinii epistulae rescriptique Traiani congestorum nullum probari posse intelleximus. Quisquis animo non praeoccupato has duas deinceps epistulas leget, cognoscet et Plinii epistulam

[1] Br. Bauer l. l. 273 recte ostendit haec verba esse propria Nervae Traianique temporum.

de Christianorum re plane agentem ac perspicue dispositam et Traiani explicatum responsum, quorum utrumque bene intellegitur ex ingenio utriusque auctoris. Praeterea quis interpolator tum plane suppetierit huic labori tam diligenter et acute perficiendo, ut utriusque sermonem atque ingenium imitaretur, ut in nullo verbo, in nulla sententia offendaris, idque ea aetate, qua genus dicendi admodum alienum esset a Plinii simplicitate in epistulis ad Traianum missis perspicua atque etiam magis a principis brevitate, dico iis temporibus, quibus effusae et abundantis orationis gloria nitebant Flori, Appulei, Minucii, Tertulliani[1]. Iam videmus plus esse difficultatis expedire, quo modo interpolatio facta sit, quam testimoniorum auctoritatem defendere ac probare.

[1] Vide E. Norden *Antike Kunstprosa*, Leipzig 1898, II 588 sqq. 598 sqq.

Caput III

De Tacito

Taciti testimonium de Iesu Nazareno exstat ann. XV 44. Unus fons annalium librorum XI—XVI est codex Langobardis litteris scriptus et a Cosmo suae bibliothecae anno 1444 conditae insertus Mediceus II, qui nunc commode inspici potest apud Sijthoffium in Codicibus Graecis et Latinis photographice depictis 7, 2. Ceteri cuncti codices ab illo pendent neque ipsi sunt ullius momenti nisi, ubi in Mediceo sunt lectiones dubiae [1].

Locus, ubi testimonium de Iesu Nazareno eiusque sectatoribus exstat, hic est:

Tac. ann. XV 44: 'Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos [2] appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum [3] erumpebat non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde [4] in crimine incendii quam odio humani generis

---

[1] Ed. Orelli Baiter p. XIV—XIX.

[2] *Chrestianos*, non *Christianos* cod. Med. exhibuisse videtur; *Christianos*: codd. vide infra 78 sqq.

[3] Med., *rursus*: codd.

[4] *perinde*: Orelli Baiter.

convicti[1] sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi atque flammandi, ubi[2] defecisset dies, in usum[3] nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo[4] insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur.'

Permagna est orta controversia de Taciti testimonii auctoritate, postquam P. Hochart anno 1885 Parisiis librum in publicum emisit: *Études au sujet de la persécution des Chrétiens sous Néron.* Nam etsi antea multi docti viri in rebus quibusdam a Romano historico de Christianis traditis textusque in nonnullis verbis valde laboraverunt[5], tamen nemo ante

---

[1] *coniuncti*: Med.; *coniuncti reperti sunt*: Gast. Boissier; *coniuncti*: Cuq.; *convicti*: edd.

[2] *aut flammandi atque ubi*: Med., qui *in* suprascripsit; traditum servant Haasius et Orellius; *aut crucibus affixi aut flammandi*: del. Nipperdey; *ut flammandi*: Ursinus; *aut flamma usti, utque ubi*: Meursius; *aut flamma usti, aliquis ubi defecisset*: Pontanus; *aut crucibus affixi flammandi*: Renan; *aut crucibus affixi et flamma di[vex]ati ubi*: Iac. Bernays *Über die Chronik des Sulpicius Severus*, Berlin 1861, 55 adn. 72; *aut crucibus adfixi sunt flammandi utque*: Frankl. Arnold *Die Neronische Christenverfolgung*, Leipz. 1888, 11; plurimi edd., inter hos Halm, locum correxerunt ex Sulpicio Severo, qui chron. II 29 haec habet: 'Quin et novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, multi crucibus affixi aut flamma usti, plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur'. Meam lectionem defendam infra 89 sqq. Hoc capite iam conscripto cognovi Carolum Weyman voce 'atque' ante 'ubi' omissa legere velle: *et flammandi, ubi ...*; in *Festgabe für M. v. Schanz*, Würzburg 1912: *Tacitus über die Fackeln des Nero* 172.

[3] *usu*: Med.

[4] *curriculo*: cod. Agricolae; *circulo*: Med.

[5] Dubitationes quasdam nonnullorum ante Hochartium illustrium doctorum virorum commemorare mihi liceat. Voltaire (*Oeuvres complètes de Voltaire, Essai sur les moeurs* I, Paris 1878, 223) contendit neque imperatorem neque Christianos vel Iudaeos incendii criminis argui potuisse sumitque paucos tantum novorum sectatorum irae populi leniendae esse traditos. Gibbon (*Hist. of the decline and fall of the Roman empire*, nov. edit. Londinis vol. II 1897, 87 sqq.) Tacitum de Christianis iudicium suae aetatis ad tempora Neronis rettulisse dicit. H. Schiller *Gesch. d. röm. Kaiserz.* vol. I 1872, 449, poenas fuisse novas aut inauditas negat (vide

Hochartium fidem totius de Christianis loci in dubium vocare est ausus. Ille enim vero eo processit, ut permultis rationibus undique studiosissime collatis totum testimonium ab interpolatore Christiano in annalium textum esse immissum contenderet [1]. Ex eo tempore quaestio de auctoritate eius testimonii iterum atque iterum est proposita; etiam recentissimis temporibus doctorum virorum dissensio de ea re est maxima [2]. Postquam Arthurus Drews in libello illo, qui inscribitur *Christusmythe* cuiusque prior pars in lucem prodiit anno 1910, ea verba ad Christianos spectantia Taciti esse negavit [3], Ioh. Weiß ei contradixit affirmans quemque animo non praeoccupato illum locum pro genuino agnoscere debere [4]. At Drews etiam in altera parte libelli *Christusmythe* anno 1911 edita suae sententiae stetit [5], cumque Hochartii argumenta in subsidium vocare non desinat, meum erit praeter ceteras illius praecipue rationes, quatenus sint probandae, examinare [6].

Priusquam Taciti de Iesu Nazareno testimonium ipsum perscrutari aggredior, quaerere conabor, quatenus rebus ab

---

infra 94) ac dubitat, num anno 64 Christiani a Iudaeis distingui potuerint (*Gesch. d. röm. Kaiserreich unt. Nero*, Berlin 1872, 586; vide infra 73). Alii nomen Christianorum diebus illius incendii nondum usitatum fuisse opinantur, quorum nomino R. A. Lipsium *Über den Ursprung u. ältesten Gebrauch des Christennamens, Gratulationsschr. Jena* 1873, 10 et M. Joël *Blicke in die Religionsgesch.* II 1883, 148. Vide infra 75. Quod ad censuram criticam pertinet, nonnulli docti viri etiam ante Hochartium ipsis in verbis 'aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi' sunt offensi. Unum pro omnibus hic commemoro K. Nipperdey, qui in editione Taciti operum (Berol. 1871—1876) ex sententia de Christianis lata expungenda esse censet verba illa 'aut crucibus affixi aut flammandi'. Plura de singulis rebus suo loco quaeque dicenda erunt.

[1] L. l. 1—77. 145—257.

[2] Multitudo tractationum huc spectantium est valde magna. Nonnullae commemorantur a M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* III[2] 244. Plura nomina contulit K. Hofbauer *Die erste Christenverfolgung, Beiträge zur Kritik der Tacitusstelle*, Oberhollabrunn 1908, 46 sq.

[3] L. l. 179.

[4] *Jesus von Nazareth, Mythus oder Geschichte*, Tübing. 1910, 86.

[5] L. l. 65. Vide 54 sqq.

[6] A. Drews *Christusmythe* II 39: *Seinen deutschen Kritikern aber, die den ausländischen Gelehrten, ohne ihn zu kennen, so hochfahrend von oben herab beurteilen, kann ich nur den Rat geben, sich bald an das Studium seiner Schriften zu machen, da aus ihnen recht viel zu lernen sein dürfte.*

eo de incendio Romae traditis fides sit habenda. Nonnulli enim docti viri res ita, ut in annalium libro XV in capite XXXVIII sequentibus narrantur, gestas esse negant. Quod ad confirmandum Hochart imprimis haec fere dicit[1]: Fieri non potuisse, ut Nero anno 64 incendium urbis imperaret, quippe qui nihil dimisisset inexpertum ad calamitatem populi molliendam; quapropter vixdum esse credibile aut rumorem de Caesare auctore exstitisse aut imperatorem in Christianos provectum. Sed in ea re non tam quaeritur, princepsne revera hoc incendii facinus commiserit, quam utrum rumor ille tunc profecto per urbem fuerit divulgatus necne. Quod quidem Tacitus ann. XIII 20, 12 sq.[2] promittit: 'Nos consensum auctorum secuturi, si qui diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus', huic promisso immansisse non videtur; namque et de coniuratione Pisonis et super crimine urbis incensae in Neronem delato nos facit in dubio haesitantes[3]. Attamen, etiamsi nomina ipsorum scriptorum non appellavit, satis perspicue cognoscimus eum duos inter se diversos fontes consuluisse summaque diligentia reddidisse[4], quod breviter demonstraturus sum altero fonte eoque Neroni benevolo per litteram *a*, *b* littera altero eoque infesto significato. In capite XXXVIII 1 sq. libri XV haec leguntur: 'Sequitur clades, forte (a) an dolo principis (b) incertum, nam utrumque auctores prodidere'; v. infra (23 sqq.): 'Nec quisquam defendere audebat crebris multorum minis restinguere prohibentium et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive raptus licentius exercerent (a) seu iussu (b)'.

C. XXXIX 10 sq.: 'Quae quamquam popularia (a) in irritum cadebant, quia pervaserat rumor . . . (b)'.

C. XL 3 sqq.: 'Necdum positus metus et rediit . . . ignis

---

[1] L. l. 17—44. 219. Vide H. Schiller *Gesch. des röm. Kaiserreiches unter Nero*, Berlin 1872, 424; M. Joël *Blicke in die Religionsgeschichte* II 1883, 143; A. Drews *Christusmythe* II 59. 44.

[2] Versuum numeri spectant ad Halmii editionem Lipsiae I[4] 1909, II[4] 1911.

[3] Vide Ph. Fabia *Les sources de Tacite dans les histoires et les annales*, Paris 1893, 412 sq.; Tac. ann. XV 38. 49.

[4] Vide L. v. Ranke *Weltgeschichte* III 2, 312 sq.

. . . plusque infamiae[1] id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat; videbaturque Nero condendae urbis et cognomento suo appellandae gloriam quaerere (b).'

Enumerantur dehinc c. XLI regiones igni vastatae.

c. XLII 1: 'ceterum Nero usus est patriae ruinis . . .(b)', quo in capite toto praevalet iudicium Caesari adversum[2].

c. XLIII ineunte mentio fit remediorum a Nerone ad calamitatem molliendam adhibitorum (a); sub finem quidem sententia imperatori infesta rursus perlucere videtur (v. 18 sqq.): 'erant tamen, qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur . . (b)'.

Denique c. XLIV placamentis deorum commemoratis Tacitus auctorem Neroni adversum nobisque ignotum secutus sic scribit (v. 7 sqq.): 'sed non ope humana . . . decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur (b)'.

Inde iam liquet aetate Taciti famam de Neronis culpa memoriae esse traditam. Si porro inspicimus, alii praeter illustrem historicum scriptores quo modo de Caesare incendii suspecto cogitaverint, nos minime fugit et Suetonium, qui paucis annis post Taciti annales suas Caesarum vitas composuit[3], et Cassium Dionem[4] rumori illi tribuere tantam vim, ut Neronem pro incendiario habere non dubitent. Sed iam

---

[1] Inde apparet ex fonte Caesari infesto etiam prius c. 38. 39 commemoratum incendium fuisse infamiae; sed hoc alterum habuit plus infamiae. Hoc loco Taciti erat non diversas sententias modo afferre, verum etiam expendere. Vide ann. XVI 6. E. Norden *Antike Kunstprosa* I 341. Ph. Fabia l. l. 442. 444.

[2] In versu 13 huius capitis legimus: 'Nero . . . ut erat incredibilium cupitor'.

[3] Anno fere 120 (Teuffel-Schwabe *Gesch. röm. Lit.*[5] 877). Suet. Nero 38: 'Sed nec populo aut moenibus patriae pepercit. Dicente quodam in sermone communi: *Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μειχθήτω πυρί*, immo, inquit, *ἐμοῦ ζῶντος*, palamque ita fecit . . . hoc incendium e turre Maecenatiana prospectans laetusque flammae, ut aiebat, pulchritudine Halosin Ilii in illo suo scaenico habitu decantavit'.

[4] Vixit annis ferme 155—235 (W. Christ *Gesch. gr. Lit.*[4] 701 sqq.); Cassius Dio in epit. Xiphilini LXII c. 16—18 ed. Boissevain Berol. 1895—1901 vol. III 55 sq. P. Hochart l. l. 21 sq. nullis rationibus nisus contendit Dionem sive eius epitomatorem denegare Neronis culpam.

investigare conemur, quousque temporis eam famam referre possimus; nam etiam ante Tacitum complures scriptores, ne Caesarem solverent suspicione, caverunt. Plinius maior loquitur de nonnullis arboribus, quae duravissent ad Neronis principis incendia cultu virides iuvenesque, ni princeps ille adcelerasset etiam arborum mortem [1].

Auctor Octaviae tragoediae [2] imperatorem fingit recitantem:

'mox tecta flammis concidant urbis meis' [3].

Quin etiam imperatoris ipsius aetate rumorem istum pervagatum fuisse per totum populum Romanum dilucide apparet. Papinius Statius in silvis [4] sic canit:

'dices culminibus Remi vagantis
infandos domini nocentis ignes.'

Hoc carmen est dedicatum memoriae Lucani [5]. His versibus Musa Lucano infanti modo nato canit de operibus ab eo oriundis, quorum in numero erat etiam declamatio 'de incendio urbis'. Ergo sumere cogimur Lucanum quoque de rumore edoctum fuisse eique adeo fidem habuisse, ut in declamatione illa incendii crimen in principem volveret [6]. Ac bene quidem accidit, quod certiores facti sumus de tempore Lucani exitus; cessit enim de vita Neronis iussu prid. Kal. Maias anni LXV [7]. Sed cum incendium primum ortum sit ante diem XIV Kal. Sextiles anni LXIV [8] nec prius restinctum quam quinque diebus intermissis [9], h. e. ante diem VIII Kal. Sextiles, iam terminos habemus temporis, quos intra rumor Neroni infestus exstitit: ante diem VIII Kal. Sextiles anni 64 et pridie Kal. Maias anni 65. Atque etiam magis hoc spatium

---

[1] N. H. XVII § 5 Mayhoff.

[2] Tragoedia illa haud ita multo post Neronis mortem in lucem prodiit; Teuffel-Kroll II 233 sq.

[3] V. 831 (ed. Leo).

[4] Silv. II 7, 60 sq.

[5] M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* II 2, 84, 5.

[6] Vide etiam M. Schanz l. l.

[7] Ann. XV 70; Lucanus, ed. Hosius Lipsiae 1892, 336 Vacca: 'Sua sponte coactus vita excedere venas sibi praecidit periitque prid. Kal. Maias Attico Vestino et Nerva Siliano coss'. Vide F. Glaeser, Quaest. Sueton. de vita Lucani, Diss. Vratisl. 1911, 37.

[8] Ann. XV 41, 10 sq.

[9] Ann. XV 40, 1.

temporis diminuere licet. Namque si animo cogitamus Lucanum vix supremis demum vitae diebus declamationem illam confecisse ac temporis aliquantum intercessisse inter consilium huius operis componendi ipsamque exsecutionem, reducimur ad dies fere subinde incendium sequentes [1].

Quibus explicatis dicere cogimur tristibus illis calamitatis diebus revera famam de Caesaris culpa per urbem volasse.

Sin autem res ita se habebat, principis sive noxii sive innocentis maxime intererat rumorem quam celerrime compesci. Quae quidem P. Hochart opponit populum etiam tunc Neroni valde favere non desiisse, cum is nihil, ut auxiliaretur civibus, praetermisisset, vulgusque famam haud dubie pro falsa habiturum fuisse [2], facile refutantur. Nam quamvis omnia provisa essent ad ignem exstinguendum ac praecavendum, tamen ignis rursus redierat isque praediis Tigellini proruperat [3]. Sed satis cognitum habemus, quomodo Romani de homine isto sceleratissimo cogitaverint [4]. Is enim erat pariter invidiosus, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium [5], maximeque populi saevitiam incitaverat eumque odio imbuerat implacabili [6]. Iam permagnum periculum et ipsi et imperatori imminere poterat, ubi primum populus eo adiutore auctum esse incendium putare coepit.

Sed alterum quoddam accedit. Vulgus enim, etsi principi studebat indulgenti quam potissimum ipsorum voluptatibus,

---

[1] Ann. XV 67, 5 sqq.: Subrius Flavius tribunus a Nerone interrogatus, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset: 'Oderam te', inquit, '... odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius exstitisti'. Haec verba dicta sunt coniuratione Pisonis patefacta h. e. ante Lucani mortem. Tamen iis non nimia vis est tribuenda, cum ignoremus, Flaviusne profecto ita locutus sit. [2] L. l. 20. 30.

[3] Ann. XV 40; nequaquam habemus, cur huic nuntio diffidamus.

[4] Tacitus eum nominat malis artibus solis pollentem (ann. XIV 57, 3), quo in praeficiendo cohortibus praetoriis Nero secutus sit veterem impudicitiam atque infamiam (XIV 51, 14), libidinosum (XVI 17, 18). Vide H. Schiller *Nero* 163. 165. 166; A. v. Domaszewski *Gesch. der röm. Kaiser* II 59. [5] Hist. I 72.

[6] Ib., Plut. Galba 17; Cassius Dio LXII 15 ed. Boissevain vol. III 54; Iuv. sat. I 155; Tigellinus ipse Octaviam populo gratissimam curaverat interimendam, ann. XIV 63. 64.

tamen fide dimoveri potuit[1]. Duobus annis ante Romam flammis datam Nero crebris questibus vulgi erat coactus Octaviam uxorem exturbatam revocare[2]; neve obliviscamur illis post incendium diebus populum versatum esse in mala condicione nullisque voluptatibus delectatum, quapropter iam non erat, cur eius favor ad Caesarem inclinaret. Nobiles vero iamdudum Neronem esse aversatos et detestatos multis locis annalium invenimus probatum[3], nec dubium erat, quin ii ipsi tunc rumore usi populi studium a principe abalienare essent conaturi. Cum igitur ex rumore, nisi ilico tolleretur, Caesari magnum periculum imminere posset, calliditatis erat auctores incendii quaerere, in quos suspicio atque odium ignis averteretur. Nam 'non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur' (v. supra p. 65).

Iam quaestio oriebatur, quo vertendum. E nobilium numero reos ad iudicium trahere nec Tigellinus neque Nero audere poterat, quoniam valde dubium esse debebat, num populus eos, quos per tot annos tanta malignitate ab imperatore tractatos vidisset, tum ipsum incendii crimen commisisse crederet. Nec licebat noxios eligere e multitudine civium Romanorum, qui haud dubie statim cognituri fuissent, quo id spectaret. Iam cogitares de Iudaeis, qui, etsi sub tutela rei publicae versabantur[4], tamen Romanis erant summo contemptui[5]. At nimius erat eorum numerus[6], neque ignoramus

---

[1] Ann. XIV 22: De comete sidere effulgente opinio est vulgi mutationem regis portendi. 'Igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam deligeretur, anquirebant'.

[2] Ann. XIV 60; seditiosus populus videatur etiam tibi legenti ann. XIV 61. Commemoro praeterea, quam sedulo princeps timuerit populi favori Agrippina matre sublata; vide ann. XIV 13.

[3] Unum e multis exemplum affero, ann. XV 36, 18 sq.: 'Senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur'.

[4] Vide E. Schuerer *Gesch. des jüd. Volkes* III[3] 30 sqq.

[5] Vide Th. Keim *Rom u. das Christentum*, Berl. 1881, 100 sqq.; P. Wendland *Die hellen.-röm. Kultur*, Tübing. 1912[2], 195.

[6] Documento est eos iterum atque iterum repressos et expulsos minime diminutos esse. E. Schuerer l. l. 32 sq.; A. Harnack *Die Mission u. Ausbreitung des Christent. in den drei ersten Jahrhunderten*, Leipz. 1902, 5.

ipsos Poppaeae Sabinae opera tutos fuisse ab incommodis iniuriisque [1]. Quin imperator Claudius in principio imperii per decretum statuerat Iudaeos ubique esse tolerandos [2], iidemque sub Nerone Caesare nunquam erant vexati [3]; quare suspicioni fuisset, si Nero tum ipsum in eos esset provectus. Denique iam restant Christiani, qui populo non minori odio erant quam Iudaei; quippe qui essent per flagitia invisi [4] ideoque etiam peiores quam Iudaei, quod moribus suis et institutis rei publicae parabant magnas difficultates [5]. Adde huc, quod Iudaei hanc occasionem periculosissimos adversarios funditus perdendi vix praetermiserint. P. Hochart quidem sumit Neronem in Christianos animadvertere tunc praeter cetera etiam idcirco dubitare debuisse, quod illi in plebe praecipue niterentur [6]. Atqui nulli totius urbis homines erant aptiores, qui destinarentur ad supplicium, quam Christiani ipsi, nimirum cum essent nova secta, de qua insuper male audiente licebat nullo periculo rumores dissipare ineptissimos absurdissimosque [7].

His expositis intellegimus rumorem de Neronis culpa revera tum exstitisse eiusque magnopere interfuisse famam quam primum tolli. Itaque iam vero negandum est Tacitum in hisce capitibus modo tractatis memoriae tradidisse falsa.

Dehinc iam transeamus ad testimonium ipsum, quod bipertitum tractaturus sum; prior pars extenditur ad verba 'confluunt celebranturque', altera explet cetera capitis.

'Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante

---

computat Tiberio imperitante Romae fuisse circiter decem milia Iudaeorum, cui sententiae me addicam.

[1] Vide Ioseph. ant. Iud. XX 195. 252 Niese; Tac. ann. XVI 6.

[2] Ioseph. ant. Iud. XIX 278—292. Etiamsi Claudius aliquando in Iudaeos animadvertere coactus erat, tamen eorum condicio ipsa non erat commutata. Vide Suet. Claud. 25; Cassius Dio LX 6 ed. Boissevain vol. II 669; H. Schiller *Gesch. der röm. Kaiserzeit* I 447.

[3] Suet. Nero 46: 'Nero nihil curavit diversas religiones atque contempsit'. Iosephus nihil novit Iudaeorum vexationis sub imperatore Nerone.

[4] Ann. XV 44, 10sq.: 'Quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat'.

[5] Plus de hac re vide infra 74.

[6] L. l. 179.

[7] Vide Th. Keim l. l. 187.

per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque'.

Ordinem rerum optime verbis 'ergo rumori abolendo ...' continuari modo demonstravi[1]. Nec minus iuvat Taciti genus dicendi reperire. 'Abolere' verbum Tacitus conectit non cum voce 'infamiae'[2], sed cum 'rumori': nimirum si rumor ipse erit sublatus, infamia per se decedet. Historicus non subtilius imperatoris studium significare potuit gravis famae discutiendae[3]. Caesar igitur suspicionem conatur a semet vertere in Christianos, qui num revera sint noxii, ipse haud dubie ignorat: 'subdidit reos'. 'Subdere' verbum intellegitur de re falsa supposita pro vera. Auctor ipse his verbis Christianos tamquam crimine incendii solvit et iam audire nobis videmur verba infra sequentia: 'tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur'. Dictionem vero 'reum subdere' propriam esse Taciti docent ann. I 6, 17: 'metuens, ne reus subderetur', I 39, 6: 'mos vulgo, quamvis falsis reum subdere'[4]. Pro inaudito facinore etiam poenae esse debent quaesitissimae, quod adiectivum 'quaesitissimus' in ann. II 53, 12 probatum invenimus: 'excepere Graeci quaesitissimis honoribus (sc. Germanicum)'[5]. Audacter vero positum est 'invisos per'. Uno tantum praeter hunc loco eadem legimus, hist. I 60, 1 sq.: 'praeerat Trebellius per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque'[6]. Cum verbis 'auctor eius nominis' bene comparatur ann. XII 58, 4 sq.: 'Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam'. Quod porro

[1] A. Drews *Christusmythe* II 40, 1 id negat.

[2] Ann. I 3, 24 sq.: 'Bellum ... adversus Germanos supererat abolendae ... infamiae ...'

[3] Vide ann. XV 73, 3 sq.: 'Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur (Nero)'.

[4] Vide Cic. de dom. § 85: 'Quis in meum locum iudicem subdidit'; ann. XIV 40, 5: 'Subdidit testamentum'; ann. VI 36, 6: 'Subdito rumore'; III 67, 13: 'Maiestatis crimina subdebantur'.

[5] Vide etiam ann. III 57, 1; V 3, 8; XII 26, 1.

[6] Ann. VI 7, 5: 'Per flagitia infamis'.

P. Hochart 'Tiberio imperitante' notat ut genus dicendi a Tacito discrepans [1], quamquam ipse ceteros locos eandem dictionem exhibentes affert, hoc est eius animi praeoccupati [2]. Tacitus pergit: 'repressaque in praesens'; non usurpat 'opprimere', quod esset 'funditus delere', sed 'reprimere' bene coniunctum cum verbis 'in praesens'; nimirum nam exitiabilis superstitio rursum erumpebat [3]. Ea superstitio est 'exitiabilis', h. e. quae fert exitium sicuti morbus mortem efficiens [4].

Ita cognoscimus in his sententiis elocutionem Taciti propriam atque exquisitam [5].

Iam nos vertamus ad res ipsas tractandas. In verbis 'quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos (sive Christianos) appellabat' maxime cardo versatur. P. Hochart enim una cum iis, qui et ipsi auctoritatem testimonii in dubium vocant [6], haec fere attulit ad fidem huius loci percutiendam [7]: Neronis aetate Christianos artissime cum Iudaeis cohaesisse, nempe quia hominibus vere Christianis opus fuisset cum primis lege Mosaïca et sabbatis sollemniter agendis [8]; ergo Iesu discipulos tunc nondum esse distinctos ab Iudaeis; nomen vero 'Christiani' ea demum aetate esse exortum et usitatum, qua sectatores illi Graeca, quae dicitur *κοινή*, lingua uti coepissent, quod quidem Tacito vel vivente vel etiam mortuo accidisset [9]; inde apparere ea de Iesu discipulis verba neutiquam esse Taciti ipsius [10].

---

[1] L. l. 76 sq.

[2] Ceteri loci sunt hi: ann. XII 64, 20; 65, 9; III 24, 14 (Tiberio imperitante); IV 62, 9 (imperitante Tiberio); XI 14, 15; XIII 32, 13; 43, 3.

[3] Vide ann. VI 16, 11 sq.: 'Multis plebiscitis obviam itum fraudibus (sc. funeratorum), quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur'.

[4] Ann. XVI 5, 11: '... morbo exitiabili correptos'; hist. III 22, 14: 'proelium ... exitiabile'.

[5] Vide E. Norden *Die antike Kunstprosa* I 1898, 327. 332. 336. 337; H. Nissen in *Rhein. Mus.* XXVI 1871, 509; K. Wachsmuth *Einleitung in das Studium der alten Geschichte* 1895, 681.

[6] Vide H. Schiller *Nero* 434; id. *Gesch. d. röm. Kaiserzeit* I 449; A. Drews *Christusmythe* II 52 sqq. et 58. Contra iudicat A. Linsenmayer *Die Bekämpfung des Christentums durch den röm. Staat*, München 1905, 57 sq.

[7] P. Hochart l. l. 45—64; 177—180.

[8] L. l. 47 sq.

[9] 51—54. A. Drews *Christusmythe* II 60 sqq.

[10] P. Hochart l. l. 180.

Satis quidem constat Christianos 'sub umbraculo insignissimae religionis, certe licitae'[1], Iudaeorum se explicasse atque accepisse eorum rationem et modum[2] ad euangelium proferendum[3] primis praesertim temporibus; sed iam medio fere primo p. Chr. n. saeculo Iudaeorum in novos sectatores odio factum est, ut Christiani praesidio licitae illius religionis carerent[4], neque ignoramus, quanta invidia Iudaei in Asia et Graecia Paulum, ubicumque versabatur, persecuti sint, cum magistratus ipsi provinciales plus semel eum tuerentur[5]. Inde apparet Iesu discipulos extra Palaestinam non tam Iudaeis esse nisos quam provincialibus hominibus aliarum religionum[6]. Paulus vero ipse, quamvis Iudaeos non detestaretur, tamen nunquam declarare desiit cunctis nullo excepto hominibus sive Iudaeis sive ethnicis salutem esse paratam apertisque verbis in eos se vertit, qui una in Mosaïca lege docent positam primam homini Christiano condicionem[7]: immo in fide et amore positam esse supremam legem novae religionis[8]. Ita fit, ut Paulus euangelium extra Iudaeorum religionem extulerit[9]. Sed in hoc munere facere non potuit, quin lingua

[1] Vide Tertull. ap. 21 ed. Oehler I 195; H. Schiller *Gesch. d. röm. Kaiser* I 447; Th. Keim l. l. 167.

[2] Etiam Iudaei summa ope nitebantur, ut quam plurimos sectatores ad se adsciscerent. P. Hochart l. l. 172; Th. Keim l. l. 107. 127; L. Friedländer *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms*, Leipzig 1910[8], IV 245sq.; A. Harnack l. l. 7.

[3] De hac re vide Th. Keim l. l. 167; P. Wendland l. l. 208—210; A. Linsenmayer l. l. 52sq.; Th. Mommsen *Röm. Gesch.* V 550; id. *Der Religionsfrevel nach röm. Recht*, in *Jur. Schr.* III 1907, 400, 2; Christ-Schmid *Gesch. gr. Lit.* II 1[5], 9.

[4] Vide A. Linsenmayer l. l. 53; P. Wendland l. l. 241; M. Joël *Blicke* II 15.

[5] Vide Th. Keim l. l. 159. 177sq. 183; act. ap. 18. 12sqq.

[6] Vide Ad. Juelicher *Einleitung in das Neue Testament*, Tübingen 1906, 36; Gal. 2, 11 sq.

[7] Gal. 1, 16; 2, 8sq.; 3, 28; I Cor. 12, 13; Ephes. 4, 4; Col. 3, 11; ep. ad Romanos passim.

[8] Marc. 12, 28sqq.; 16, 16: *ὁ πιστεύων καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται.*

[9] Vide Ad. Juelicher l. l. 28sq.; A. Harnack l. l. 33sq.; G. Wohlenberg *Das Heidentum nach der Beurteilung des Paulus*, in *Neue kirchl. Zs.* XXIII 1912, 223—249.

Graeca uteretur[1], neque aspernatus est suo consilio ad morem philosophorum popularium se applicare[2]. P. Hochart igitur errat, cum Christianos Neronis aetate Iudaïcis tantummodo institutis nitentes Iesu cultum propagasse ac Taciti demum temporibus linguam κοινὴν ab illis adhibitam esse contendit[3]. Novi vero sectatores etiam Romae Nerone imperante quin fuerint, vix dubium sit. Testimonio est epistula a Paulo ad Romanos fratres missa[4], idemque ex eo colligi potest, quod apostolus duos fere annos in urbe est versatus[5].

Praeterea quaeritur, num etiam tunc discipuli Iesu Romae ab Iudaeis internosci potuerint, qua de re docti viri adhuc valde inter se dissentiunt. Sectae Christianorum quidem in urbe versantium haud parvam partem constitisse ex ethnicis docet eadem epistula illuc a Paulo missa[6]; ac per se intellegitur neque eos sectatores, qui ex gentilibus profecti[7] lege Mosaïca non obstringebantur, usui consuetudinique Iudaeorum se applicasse neque vel eos, quicumque a cultu Moysis de-

---

[1] Ep. ad Romanos missa est scripta sermone Graeco. Ad. Iuelicher l. l. 92 recte iudicare mihi videtur eam esse compositam anno fere 58/59.

[2] P. Wendland l. l. 92 recte animadvertit Paulum apud Athenienses collectos locutum esse in modum διατριβῆς philosophorum popularium; vide act. 17.

[3] Iam C. Douais nonnulla ab Hochartio de hac re errata refutavit in *Rev. des quest. hist.* XXXVIII 1885, 353. Vide etiam Ad. Juelicher l. l. 38 sq.; P. Wendland l. l. 5.

[4] Vide supra adn. 1; ep. ad Rom. 15, 22 sq.: *Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, ἐπιποθίαν ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ ἱκανῶν ἐτῶν.* Vide Th. Keim l. l. 157, 3.

[5] In eo actis apostolorum fidem quominus habeamus, nihil impedit; act. 28, 30 sq.: *ἐνέμεινεν δὲ διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι καὶ ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτὸν . . .*

[6] Ep. ad Rom. 2, 9 sq.; 12, 1—15; passim. Vide etiam A. Hilgenfeld *Einleitung in das Neue Testament*, Leipzig 1875, 316 sqq.

[7] Ad. Juelicher l. l. 99; 100: *ein wildwachsendes, gesetzloses Heidenchristentum.* Cum Paulus per totam ad Romanos datam epistulam uberibus gravibusque verbis Graecos et Iudaeos esse aequales ostendere non desinat ac sectatores ubique quaque, ut concordes sint, admoneat, sumere cogimur in secta illa differentias exstitisse haud parvas praeter cetera ideo quoque, quia alii ex Iudaeis, alii ex ethnicis ad Christianorum fidem transierant.

fecerant, synagogam adire esse ausos aut voluisse[1], quod Th. Mommsen imprimis acute cognovit[2]. Atque alterum quoddam etiam manifestius demonstrare videtur Christianos esse distinctos ab Iudaeis. Nemo nescit inde a temporibus Augusti Romanis religionem paternam restitui esse coeptam atque eos quoque, qui Augusto successerunt, imperatores cultui deorum veterum renovando operam navavisse[3]. Summi fuit momenti quod Augustus ipse anno 12 a. Chr. n. pontificatum subiit[4], quo facto religio Romana etiam artius quam prius coniuncta est cum re publica[5]. Huc accedit, quod defunctos Caesares in numerum caelestium traduci mos exstiterat. Iam universorum hominum, qui tutela imperii utebantur, summum erat officium dis imperium tuentibus sacrificare et carne victimae vesci[6]. Huic autem caerimoniae, quae nimium aliena videretur a vera religione ac pietate[7], Christiani valde repugnabant atque eum in modum religiosa officia rei publicae debita

---

[1] Vide A. Linsenmayer l. l. 57sq.; A. Harnack l. l. 292; act. 28, 29.

[2] *Religionsfrevel* in *Jur. Schr.* III 417, 4: *Hierin, in dem Besuch oder Nichtbesuch der Synagoge wird dem heidnischen Publikum und insbesondere den Stadtrömern der Gegensatz der Juden und Christen wohl zuerst entgegengetreten sein, namentlich, wenn, wie dies geschah, die Polizei, welche die Synagogen gewähren lassen mußte, gegen die Ekklesien einschritt.* H. Schiller *Nero* 586 non recte Christianos a Iudaeis ita distingui potuisse negat.

[3] Vide Hor. carm. saec. 61sqq.; carm. III 6, 1sqq.; perfacile exempla cumules. Th. Keim l. l. 82sqq.; 119sqq.; 127. Vide etiam S. Wide in Gercke-Norden *Einleitung in die Altertumswissenschaft* II Leipzig u. Berlin 1910, 282sqq.: *Die religiösen Reformen des Augustus.* G. Wissowa *Religion und Kultus der Römer*[2], München 1912, 73 sqq.

[4] Vide A. v. Domaszewski *Geschichte der römischen Kaiser* I 208.

[5] Vide Fr. Maaßen *Über die Gründe des Kampfes zwischen dem heidnisch römischen Staat und dem Christentum*, Wien 1882, 82.

[6] Vide Fr. Maaßen l. l. 25; Th. Mommsen *Der Religionsfrevel nach röm. Recht* in *Jur. Schr.* III 390; 395. P. Wendland l. l. 253; Harnack l. l. 214.

[7] Vide Fr. Maaßen l. l. 36. I Cor. 10, 19sqq., quem ad locum conferas commentarium Bernhardi Weiß *Paulinische Briefe u. Hebräerbrief*, Leipzig[8] 1902, 191. G. Wohlenberg l. l. 236sq. Lege tamquam in apostolorum concilio Hierosolymis habito id vetitum est. Vide act. 15, 29: *ἀπέχεσθε εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος.* Hoc concilium est convocatum anno fere 52, de quo inspicias Ad. Juelicher l. l. 31.

neglegebant, et cum hi novi sectatores contemptoresque religionis publicae[1] ex parte haud parva ne Iudaeis quidem, qui soluti erant[2] cultu illo Caesarum deorum, se immiscerent, perfacile ab illis internosci poterant[3]. Neque igitur iure P. Hochart Neronis aetate Christianos Romae versantes ab Iudaeis distingui potuisse negat[4].

Ac porro quoniam P. Hochart illud esse interpolationis contendit, quod in hoc de Iesu testimonio nomen Christianorum legatur[5], inquiramus, num iam incendii anno haec appellatio Romanis usitata fuerit. Primum est exploranda origo nominis. Quattuor libros sancti euangelii, epistulas apostolorum, apocalypsim, acta cum perlegimus, nostro iure miremur tribus dumtaxat locis Iesu discipulos 'Christianorum' appellatione esse cognominatos. In prima epistula, quae dicitur Petri[6], 4, 14 legimus: *εἰ ὀνειδίζεσθε ἐν ὀνόματι Χριστοῦ, μακάριοι* . . . V. 16: *εἰ δ'ὡς Χριστιανός* (sc. *τις πάσχει*), *μὴ αἰσχυνέσθω*, quo e testimonio de Neronis aetate argumentum ducere non ausim, cum epistula non prius scripta sit quam anno fere 100[7]. Neque quidquam de tempore originis appellationis colligere possumus ex actis 26, 28, ubi Paulum Agrippa sic alloquitur: *ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν ποιῆσαι.* Agrippa est rex Iudaeorum; constat autem Christianos ab Iudaeis nunquam ita vocitatos esse, sed *Ναζωραῖοι* (vel *Ναζαρηνοί*), *Γαλιλαῖοι*, *Μιναῖοι*[8], nisi forte sumis Agrippam hoc loco ex sententia

---

[1] Livius IV 30, 11: 'datum inde negotium aedilibus, ut animadverterent, ne qui nisi Romani dii neu quo alio more quam patrio colerentur'. Cicero, leg. II 19: 'separatim nemo habessit deos neve novos neve advenas nisi publice adscitos'.

[2] De hac re vide A. Harnack l. l. 198. Th. Mommsen *Religionsfrevel* in *Jur. Schr.* III 418.

[3] Vide Fr. Maaßen l. l. 22. C. Douais l. l. 355.

[4] L. l. 48. [5] L. l. 47 sqq. 64.

[6] Auctor epistulae non est Petrus: Ad. Juelicher l. l. 178 sqq. Vide etiam R. Perdelwitz *Die Mysterienreligionen u. das Problem des I. Petrusbriefes* in *RGVV* XI 3, 5—28; A. Gercke *Der Christenname ein Scheltname* in *Siebs, Festschrift zur Jahrhundertf. der Univers. z. Breslau* 1911, 370.

[7] Vide Ad. Juelicher l. l. 183 sqq.

[8] Act. 24, 5: *αἵρεσις τῶν Ναζωραίων.* Etiam Tert. contr. Marc. 4, 8 ait: 'unde et ipso nomine nos Iudaei Nazarenos appellant'. Iudaei vero

Pauli iam velut hominem Christianum loquentem esse effictum[1]. Restat denique act. 11, 26: *ἐγένετο δὲ αὐτοῖς καὶ ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ διδάξαι ὄχλον ἱκανόν, χρηματίσαι τε πρώτως ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς.* Causa, cur verbo *χρηματίζειν*, h. e. 'appellari' offendamur[2], nulla est. Sed quia hoc nomen praeter hunc locum et illum (act. 26, 2) nusquam actorum invenitur neque etiam a Paulo in epistulis exhibetur, hic locus act. 11, 26 nonnullis suspiciosus videtur, praesertim cum Iesu discipuli a se ipsis vocentur *ἅγιοι, σῳζόμενοι, ἐκλεκτοί, κλητοί, πιστεύοντες, οἱ ἔσω, ἀδελφοί, οἱ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, οἱ ὄντες ἐν κυρίῳ*[3]. Quin etiam in aliis praeter Novum Testamentum Christianis scriptis primorum temporum nomen *Χριστιανοὶ* deest Ignatio quidem martyre excepto, qui usurpavit et nomen ipsum[4] et vocem *Χριστιανισμός*[5]. Sed ita nuncupantur Iesu sectatores a scriptoribus apologeticis demum, qui doctrinam Nazareni domini contra ethnicos defendere susceperunt, quod ex Iustini quoque apol. I 4 apparet: *Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα· τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον*[6]; idem in dial. c. Tryph. 64 Tryphonem sic loquentem fingit: *οἵτινες καὶ ἀπὸ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ Χριστιανοὶ καλεῖσθαι πάντες ἐσχήκατε*[7]. Cum igitur res ita se habeat, vix negari potest 'Christiani' nomen ex ethnicis

---

his appellationibus usque ad V saec. steterunt: A. Harnack *Mission* 288. R. A. Lipsius, l. l. 10.

[1] Acta sunt conscripta annis fere 100—105; vide Ad. Juelicher l. l. 395 sqq.

[2] Id quod fecit P. Hochart l. l. 61 dicens in actis *χρηματίζειν* verbum nusquam habere vim 'appellari'. Errat, vide ep. ad Rom. 7, 3: *ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ*; vide Menagium ad Diog. Laert. I 48. A. Gercke l. l. 367, 2. Praeterea annoto Ios. ant. Iud. XI 344 Niese.

[3] Vide R. A. Lipsius l. l. 5. Ad. Gercke l. l. 363. *Dictionnaire d'archéol. chrét. et de Liturgie* Paris XXVIII 1912 col. 1465 adn. 3.

[4] Ep. ad Magnes. 4; ad Rom. 3, 2; ad Polycarp. 3. 10, 1; 12, 1 sq.

[5] Ep. ad Magnes. 10, 1. 3; ad Rom. 3, 3; ad Philadelph. 6, 1. Vide E. Preuschen *Handwörterbuch zu den Schr. des N. T. u. der übrig. urchr. Lit.*, Gießen 1910 col. 1161 sq. De epistulis Ignatii inspicias A. Harnack *Chronologie* I 1897, 381—406. Agitur de primis decenniis secundi saeculi.

[6] His verbis Iustinus tangit agnominationem *Χριστόν — Χρηστόν*, qua de re inspicias infra 79.

[7] Vide R. A. Lipsius l. l. 5 sqq.

ipsis esse profectum, id quod auctor actorum recte perspexisse videtur[1]. Iamque quaestio oritur, num Christianorum appellatio revera Antiochiae primum exstitisse putanda sit. A. Gercke quidem nuperrime aperte dixit hoc vocabulum a Romanis principibus esse usurpatum, utpote quod sit formula Latina, atque id Romae ipsius Neronis temporibus; inde per Italiam, Graeciam, Asiam nomen illud innotuisse[2]. Quod si accipimus, origo huius appellationis deducatur necesse est in tempora aliquanto posteriora, quam si de Graecis Asiae vel ipsius Graeciae auctoribus cogitamus, quibus videlicet prius quam illis Christiani noti esse coeperunt. Sed iam Lipsius, quamquam ortum nominis esse Latinum posse confessus, tamen probabilius posuit id ad exemplum vocum, quales sunt *Ἀσιανός*, formatum ab hominibus Graece loquentibus prodisse[3]. Fr. Blass medium quiddam tenet, cum dicit rationem vocabuli 'Christiani' a nomine 'Christus' derivati esse Latinam, sed iam priscis temporibus etiam per populos Graeciae et Asiae usitatam vulgari praecipue sermone[4]. Quibus tribus sententiis expensis verisimilius esse nobis confitendum erit appellationem in Asia, ubi Christiani primum cum ethnicis concurrerunt, ortam inde per orbem increbruisse. Quod si probamus, mea quidem sententia nihil obstat, quominus verbis auctoris actorum 11, 26 nomen Antiochiae primum esse adhibitum fidem habeamus. Quin etiam hoc indicium de origine nominis tam accurate est emissum, ut profecto verum esse videatur. Neque intellegi potest, quem ad finem auctor actorum Antiochiae ipsius ortum appellationis esse quaerendum sit ementitus. Hinc igitur nomen a Graecis per cuncta oppida, quaecumque Christiani adibant, facile divulgari potuit, nec dubitare licet, quin etiam Romae Iesu sectatores paulo post novo nomine vocitati sint[5], quippe

[1] Item iudicat R. A. Lipsius l. l. 18 sq. [2] L. l. 364 sqq.

[3] L. l. 12 sqq. Quod A. Gercke opponit (l. l. 364, 1) typo illo Graeco geographica tantum nomina esse derivata, errat. Vide Marc. 3, 6 *Ἡρωδιανῶν*; alia multa exempla contulit R. A. Lipsius l. l. 16.

[4] *Herm.* XXX 1895, 466. Item *Dictionnaire d'archéol. chrét. et de Liturgie* Paris XXVIII 1912, col. 1465 adn. 6.

[5] Cuius rei testimonia minus firma omitto velut titulum Pompeianum CIL IV 679, qua in inscriptione nonnulli viri docti nomen 'Christiani' legere cupiunt: P. Siebert *Die ältest. Zeugnisse üb. d. Christent. bei d. röm.*

qui, ut supra 73—75 explicavi, manifesto ab Iudaeis distinguerentur. Atque etiam ei, qui tamen pro incerto habet anno 65 Iesu discipulos iam ita nuncupari potuisse, hoc saltem concedendum erit nomen fuisse pernotum Tacito annales conscripturo [1], ut ipsum in capite illo 44 'Christianos' (vel 'Chrestianos') scribere potuisse non sit negandum [2], praesertim cum Plinium quóque hóc nomen usurpasse interpretatione iam non addita viderimus.

Sed alterum quoque hic est agitandum. Quisquis enim diligentius singula verba ac singulas litteras Medicei codicis fide dignissimi inspiciet, cognoscet eo loco, quo exstat 'Christianos', rasuram esse et hoc vocabulum alio modo scriptum ac sequens 'Christus' [3], quo in nomine *i* littera ab insequente *s* conspicua lacuna dirimitur, qualis nulla in alia voce cognoscitur [4]. Iam G. Andresen in id animum intendit conclusitque *i* litteram exortam esse debere ex littera *e* radendo temptata [5]. Ilico quaeritur, num haec appellatio 'Chrestianus' a 'Chresto' derivata aliquo tempore fuerit usitata. Quod si unquam accidisse Fr. Arnold negat [6], errat. Nam in act. 26, 28; 11, 26 et in I Petr. 14, 16 modo tractatis codex Sinaïticus, cuius librarius accurate de η vel ι scribendo discernit, habet for-

---

Schriftstellern, Progr. Charlottenburg, Kais. Augusta Gymn. 1897, 16. Frankl. Arnold l. l. 54. Joh. Overbeck *Pompei*, Leipzig[4] 1884, 488 sq.; Overbeck *Studien zur Gesch. der alt. Kirche* I 1875, 98 sq.; alii. At Tertullianus ipse Vesuvio ignem spuente Pompeis Christianos fuisse aperte negat apol. I 45 (Oehler I 269). Item negant A. Mau *Pompeji*, Leipzig 1900, 16; H. Schiller *Gesch. der röm. Kais.* I 445, 1; A. Harnack *Mission* 504 sq. Pompeios non inter ea oppida Italiae nominat, in quibus tunc Christiani habitabant. Vide E. Preuschen l. l. col. 1162.

[1] Documento sunt Suet. Nero 16; Plin. ad Tr. ep. 96. 97; Ignatius mart., de quo conferas quaeso supra 76 adn. 4.

[2] Tum igitur Tacitus usum suae demum aetatis secutus est, quod quidem putant R. A. Lipsius l. l. 17; M. Joël *Blicke* II 148. Secundum acta nomen exstitit ante regis Herodis mortem h. e. annum XLIV (vide act. 12, 1). Sed parum fidem habeo temporum rationi in actis oblatae; vide *Dictionnaire d'archéol. chrét. et de Liturgie* col. 1466 cum adn. 14.

[3] Hunc codicem inspexi photographice depictum apud Sijthoffium 7, 2, vide supra 61.

[4] Vide de ea re C. Meiser *Jb.* CXXV 1882, 137.

[5] *Wochenschr. f. kl. Philol.* 1902 no. 28 col. 780 sq.

[6] L. l. 54.

mulam *Χρηστιανός*. Huc accedit, quod in compluribus Asiae sepulcrorum elogiis [1] et in plurimis Siciliae Christianorum inscriptionibus [2] eandem formam spectamus. Nimirum *Χρηστός*, i. e. 'bonus, utilis', a quo deducitur *Χρηστιανός* quodque antiquis temporibus admodum usitatum ac populare erat [3], ab ethnicis multo facilius intellegebatur quam *Χριστός* vox ipsis obscura. Quare Tacitus suo iure scripsit 'vulgus' sectatores ita nominasse. Quisquis vero Graecorum nomen audiebat pronuntiatum per *Χριστός*, facere non poterat, quin cogitaret de appellatione cotidiana *Χρηστός*, quoniam *ι* et *η* tum promiscue proferebantur [4]. Atque ipsi Christiani, quando hoc nomen accipere coeperunt, primo quidem sicuti ethnici persaepe scribebant *Χρηστός* et *Χρηστιανός* [5], id quod probatur inscriptionibus [6], ac postea demum veram formam *Χριστός* et *Χριστιανός* adhibere assueverunt. Tertullianus et Lactantius queruntur, quod ethnici Iesu discipulos perperam nuncupent Chrestianos [7]. Inde sequitur ethnicos ne horum quidem virorum temporibus 'Chrestus' et 'Chrestiani' formis uti desiisse [8]. Quod vero ad Tacitum ipsum pertinet, iam haec fere colligere possumus:

---

[1] CIG Add. 2883 d, Add. 3857 g, p; prima inscriptio, quae habet *Χριστιανός*, est ponenda non prius anno 280: CIG 3865 l. Fr. Blaß l. l. 467. 469. Vide *Lit. Zentralblatt* 1907 col. 22.

[2] IG XIV no. 78. 154. 191. 196. Vide Fr. Blaß l. l. 467.

[3] Vide R. Perdelwitz l. l. 66. De Suetonii loco Claud. 25: 'impulsore Chresto' vide infra 106, 2. *Χρηστός* legitur CIA III 1119. 1145. 1171. 1172. 1186. 1154. 751. 1192. 1113. 1177. 1036. 1138. 1010. 1142. 1202. 1137. 1133.

[4] Vide Meisterhans-Schwyzer *Grammat. d. att. Inschr.*[3] 1900, 19.

[5] Vide supra 76 Iustini verba apol. I 4: *Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα· τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον.* Novit igitur falsam derivationem nominis Christianorum. Fr. Blaß l. l. 467.

Tert. ap. 3: 'Christianus vero, quantum interpellatio est, de unctione deducitur. Sed et cum perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis — nam nec nominis certa est notitia penes vos — de suavitate vel benignitate compositum est'. Id. ad nat. 1, 3: 'etiam cum corrupte a vobis Chrestiani pronuntiamur'. Lactant. div. IV 7: 'immutata littera Chrestum'.

[8] Romani quidem, cum 'Chrestus' scribebant, nomen per *e* litteram et pronuntiabant et audiebant, cum *e* ab *i* internoscerent (Lindsay-Nohl *Die lat. Sprache*, Leipz. 1897, 20). Etiam ob eam rem nomen Christianorum a Graecis prodisse puto. Nam ut Romani primi a novis sectatoribus ipsorum auctorem fuisse Christum audirent iisque novam appellationem dare vellent

Exemplum, quod librarius codicis Medicei ante oculos habuit, scriptum est ea aetate, qua 'Chrestianus' formula fuit etiam nota et usitata. Hoc accidit usque ad IV fere saeculum [1].

Praeterea si profecto in Medicei codicis proposito exemplari exstitit 'Chrestianos', Tacitum ipsum ita scripsisse sumere cogimur [2]. Nam eius opera ad saeculum IV fuisse integra atque intacta satis constat. Christianus falsator minime hanc falsam formulam posuisset.

Quod si verum est, nequaquam licet propter nomen 'Chrestianos' de auctoritate testimonii dubitare. Quin immo Tacitus consilio atque ironia quadam verba scripsisse videtur: 'quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat': ii, qui flagitiis obnoxii erant, a vulgo ad ludibrium appellabantur *Χρηστιανοί* (*Χρηστοί*, boni). 'Vulgus' eos sectatores ita nominabat, non magistratus, non ipsi Christiani. Imperfectum 'appellabat' hic exstat, non praesens 'appellat', quo in tempore, si legeretur, in dubio haesitaremus, num etiam incendii diebus haec appellatio iis fuisset. Eos quidem etiam Taciti aetate ita vocitari nemo, qui annales legit, nescit. Praeterea imperfectum illud etiam hoc significare videtur Neronis ferme temporibus a Romanis civibus urbis quoque Christianorum nomen adhiberi esse coeptum nec scio, an imperfectum infra sequens 'erumpebat' (sc. exitiabilis superstitio rursum non modo per Iudaeam, sed per urbem etiam) ratione quadam huc spectet; nimirum quia superstitio iterum atque iterum in urbe quoque erumpebat, sive Christiani inter se ipsi [3] sive cum Romanis vel potius Iudaeis rixabantur, vulgus quo diutius eo magis homines vere Christianos internoscere atque appellare coepit.

Denique P. Hochart miratur, cur Tacitus reticeat, cui provinciae tunc Pilatus praefuerit; ipse quidem mentionem

ob locutionem diversam litterarum *e* et *i* Chrestum pro Christo neque pronuntiare nec scribere potuerunt, ni forte ipsos Christianos Christum falso intellexisse pro Chresto a primo sumebant.

[1] Vide Jac. Bernays l. l. 55.

[2] Sumendum est 'Chrestus' quoque primitus in annalibus scriptum esse. Nam Chrestianorum auctor est Chrestus, non Christus. Cum igitur Christus iuxta Chrestianos in codice Mediceo legeretur, 'Chrestus' prius in 'Christus' correctum esse videtur quam 'Chrestianos' in 'Christianos'.

[3] Ep. ad Romanos c. 14 sq.

facit verborum subsequentium 'erumpebat rursum non modo per Iudaeam, originem eius mali', sed ignoranti haec verba sufficere plane negat. Attamen G. Andresen[1] recte hoc Taciti rationis scribendi esse demonstrat, quod rem quandam obiter commemoratam paulo infra demum diligentius explicat, et duo exempla primi libri annalium affert, ex quibus historici Romani eadem consuetudo probatur quorumque alterum hic proponatur: ann. I 45, 3. Vetera castellum sexaginta milia abesse (sc. a Colonia Agrippina) nos docet neque addit in quam regionem; id enim infra indicat v. 7: 'demittere Rheno'.

His coactis causae ab Hochartio allatae ad fidem verborum: 'ergo abolendo . . . confluunt celebranturque' percutiendam necesse est reiciantur.

Dehinc iam vero tempus est quaerendi, undenam Tacitus certior sit factus de Iesu Nazareno. Nam hoc quoque Hochartio valde suspiciosum esse videtur, quod historicus Romanus tam bene instructus est et de Christo et de eius iudice Pontio Pilato[2]. Acta quidem Pilati de Iesu missa ad Tiberium pro spuriis esse habenda nemo non iudicat[3]; etenim valde addubitandum est, num de homine illo cruci affixo Romam tenus sit nuntiatum[4]. Quare neque in annalium libro quinto mutilato, ubi Tacitus loquitur de Tiberio, neque in historiarum quinto libro, in quo res agitur de Iudaeorum statu Palaestinae sub illo principe (c. IX: 'sub Tiberio quies' sc. in Iudaea), ullus de auctore Christianorum nuntius desideratur[5], cum videlicet motus per Iesum effecti, qui praesertim ne auctoritatem quidem imperii Romani laesisset, pro aliis magnis et frequentibus in Iudaea seditionibus non potuerit haberi tanta ratio, ut is per totum orbem innotesceret. Eamque ob rem

[1] *Wochenschr. f. klass. Philol.* XXVII 1910 col. 389.

[2] P. Hochart l. l. 66. 69 sq.

[3] Vide P. Hochart 66 sqq.; Rich. Lipsius *Die Pilatusakten kritisch untersucht*, Kiel 1871, 15 sqq. M. Joël *Blicke* II 4. Siebert l. l. 3. De Pilati actis egit etiam H. Peter in *Neue Jb. f. d. klass. Altert.* XIX 1907, 21 sqq.

[4] Vide P. Hochart l. l. 67 sq. A. Drews *Christusmythe* II 31.

[5] Vide Joh. Weiß l. l. 92. Frankl. Arnold l. l. 117 sq. Contra iudicat M. Joël *Blicke* II 96, qui ann. l. V aliquid de Christo dictum esse oportere censet.

etiam negandum est Tacitum de hac re senatus acta inspexisse [1].

Originem eius exitiabilis superstitionis Tacitus significat esse Iudaeam; et alteram superstitionem [2] novit in eadem regione exortam eamque priorem, scilicet Iudaeorum. Cum igitur, quomodo auctor annalium et de Iudaeis et de Christianis iudicet, animo reputamus, nos praeterire nequit harum utramque religionem historico pariter esse per flagitia invisam. Instituta Iudaeorum sunt 'sinistra foeda, pravitate valuere' [3], haec est 'proiectissima ad libidinem gens', 'taeterrima gens' [4], 'adversus omnes alios hostile odium', 'nihil inter se illicitum', 'Iudaeorum mos absurdus sordidusque' [5]. Christianos appellat 'per flagitia invisos' eorumque cultum habet pro malo [6]; quin homines illi 'sontes et novissima exempla meriti', quorum religio est 'exitiabilis superstitio', numerantur inter 'atrocia aut pudenda undique Romam confluentia' [7]. Inde iam cognoscimus Tacitum, si minus eadem verba seruit, tamen certe et Iudaeos et Iesu discipulos aeque ducere cum promptissimos ad odium generis humani tum eodem dignos [8]. Ita verbis 'per Iudaeam, originem eius mali' huc deduci nobis videmur, ut historicam de utraque religione notitiam ex uno eodemque fonte eoque litteris consignato hausisse colligamus [9]. A. Gercke quidem in tractatione *Senecastudien* [10] de Plinio maiore cogitat

---

[1] Tertull. apol. 21 (Oehler vol. I 202): 'et tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis'. Huic igitur nuntio Tertulliani acta de Iesu morte in tabulariis Romanis esse deposita iam fidem non habebimus. Vide M. Schanz *Gesch. roem. Lit.* II 2, 238. A. Schiller *Gesch. d. röm. Kaiserz.* I 447, 2. Ph. Fabia l. l. 312 sq. [2] Hist. V 8.

[3] Hist. V 5, 2. [4] Hist. V 8, 9. [5] Hist. V 5, 27 sq.

[6] Ann. XV 44, 15: 'originem eius mali'.

[7] Ann. XV 44. [8] Vide etiam Fr. Arnold l. l. 50.

[9] Vide R. Wuensch in *G. G. A.* 1911, 673 sq. A. Drews *Christusm.* II 30, 32 Tacitum haec per colloquium accipere potuisse putat. L. Aubé *Histoire des persécutions de l'église jusqu'à la fin des Antonins*, Paris 1875², 90 et M. P. Allard *L'incendie de Rome et les premiers chrétiens* in *Rev. des quest. hist.* LXXIII 1903, 352 Tacitum quosdam, qui incendio urbis adfuissent, de Christianis forte consuluisse sumunt.

[10] *Jb. f. klass. Philol.* suppl. XXII 1899, 216 sqq. Vide E. Th. Klette *Die Christenkatastrophe unter Nero*, Tueb. 1907, 148.

nisus in inscriptione quadam[1], ubi ille ἀντεπίτροπος Syriae audit, anno LXX Tiberio Iuliano Alexandro additus[2]; nam ad expeditionem illam Plinii verba 'castrense contubernium'[3] referenda esse censet una cum Mommseno (vide infra adn. 2) ac procul dubio Plinium poesta creatum esse procuratorem Syriae, qui primus omnium scriptorum de Nazareni magistri morte edoceri potuisset[4]. At gravia quaedam huic opinioni obstant. Primum enim, licet Plinius, quem ab Iosepho in concilio illo Titi ante deleta Hierosolyma habito non commemorari valde mireris[5], re vera fuerit ἀντεπίτροπος, inde minime sequitur, ut postea vel procurator designaretur. Ea Mommseni coniectura parum probata mihi videtur. Nam etsi negari nequit eum, qui locum ἀντεπιτρόπου tenebat, debuisse satis magnae auctoritatis esse[6], nihilo minus de vera significatione huius vocabuli non satis certiores facti sumus, quam ut inde quid de cursu honorum colligere possimus. Praeterea vero fieri potest, ut Plinius eo ipso tempore, quo Syriae praefuisse putatur, versatus sit in Gallia Narbonensi[7], ac F. Muenzer illam inscriptionem CIG III 4536 ad Plinium referri posse mea quidem sententia recte negavit[8]. Denique, id quod mihi non minus grave videtur, Tacitus in nonnullis Iudaeorum rebus describendis a Plinio, qui et ipse in N. H. de Iudaea loquitur, discrepat adeo, ut optimo iure miremur, si illum secutus hoc fecerit nulla excusatione addita[9]. Neque enim quis ducat[10]

---

[1] CIG III 4536. Plinius N. H. XIII 4, 46 nominat Iudaeos gentem contumelia numinum insignem.

[2] Th. Mommsen in *Herm.* XIX 1884, 644 sqq.

[3] In praefatione quae continet dedicationem ad Titum.

[4] A. Gercke l. l. 216. E. Th. Klette l. l. 115.

[5] Iosephi in bell. Iud. VI 237 sq. Niese nominatim afferuntur sex κορυφαιοτάτων ducum. Plinius cum Tito familiaritate erat coniunctus. Quare mirandum est, cur Iosephus eum, qui ei concilio haud dubie interesse debuerit, silentio praeterierit. Th. Mommsen in *Herm.* XIX 1884, 647, 1.

[6] Th. Mommsen l. l. vertit hoc vocabulum in *Untergeneralstabschef.*

[7] Vide F. Muenzer in *Bonner Jahrb.* CIV 1899, 106 sqq. Teuffel-Kroll *Gesch. röm. Lit.* II 286.

[8] L. l. 103 sqq.

[9] Vide S. D. Fr. Detlefsen in *Philol.* XXXIV 1876, 43 sqq.

[10] Inspiciendus est H. Nissen in *Rhein. Mus.* XXVI 1871, 497 sqq. 541 sq., quem Detlefsen l. l. refutat de Plinio ut Taciti super Iudaeis fonte cogitantem.

Plinium de Iudaeis res quasdam effinxisse in Naturali Historia a Taciti sententiis discrepantes, in historia a fine Aufidii deperdita[1] alias cum illo consentientes[2]. Ac sunt etiam, qui a Tacito esse consultum Iosephum censeant, ut qui plane de Iudaeis tractaverit cuiusque opera procul dubio Romano historico pernota esse debuerint[3]. Sed haec quoque sententia est oppugnanda. Tacitus enim, ut est historicus haud neglegens, de nonnullis institutis moribusque Iudaeorum, quamvis eam gentem contemneret, tamen, si Iosephi opera[4] perlegisset, paulo rectius iudicasset vel certe tale aliquid scripsisset: Iudaeorum quidem auctores secus[5]. Sed manifeste

[1] De hoc opere vide Teuffel-Kroll II 288, 5.

[2] Vide S. D. F. Detlefsen l. l. 45.

[3] G. A. Mueller *Christus bei Flavius Josephus*, Innsbruck 1895, 46. Item Fr. Westberg *Die biblische Chronologie nach Flav. Jos. und das Todesjahr Jesu*, Leipz. 1910, 80 adn. 1. Theod. Reinach *Josèphe sur Jésus* in *Rev. des études juives* XXXV 1897, 2, 1 in adnotatione comparat Iosephi verba *τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων . . . τὸ φῦλον* (ant. Iud. XVIII 64 Niese) cum Taciti enuntiato 'auctor eius nominis' et Flavii *σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου* cum Cornelii 'per procuratorem Pontium Pilatum cruci affixus'. Sed per se intellegitur enuntiata illa perfacile a duobus auctoribus alio ab altero nequaquam pendente simili modo reddi potuisse brevitate praesertim appetita. Etiam H. Lehmann *Claudius und Nero*, Gotha 1858, I 33sqq. cogitat de Iosepho per Tacitum consulto. Sed hic moneo locum de Iesu Nazareno verisimiliter post aetatem Taciti in Iosephi textum ab interpolatore esse immissum. Vide supra caput I. Iam potius cogites de Iosephi falsario Taciti annales consulente.

[4] Tacitum de Iosephi libris scivisse sumere licet, praesertim cum scriptor Iudaeus cum genere Flaviano familiaritate convinctus Romae sit versatus. Vide Christ-Schmid *Gesch. gr. Lit.* II 1^6, 449. Sed auctores Romani de Iudaeis acturi illorum historicos inspicere aspernati sunt. Iosephus id queritur bell. Iud. praef. § 1 (Niese): *Ἐπειδὴ τὸν Ἰουδαίων πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον συστάντα . . ., οἱ μὲν οὐ παρατυχόντες τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' ἀκοῇ συλλέγοντες εἰκαῖα καὶ ἀσύμφωνα διηγήματα σοφιστικῶς ἀναγράφουσιν, οἱ παραγενόμενοι δὲ ἢ κολακείᾳ τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἢ μίσει τῷ πρὸς Ἰουδαίους καταψεύδονται τῶν πραγμάτων, περιέχει δὲ αὐτοῖς ὅπου μὲν κατηγορίαν, ὅπου δὲ ἐγκώμιον τὰ συγγράμματα, τὸ δ' ἀκριβὲς τῆς ἱστορίας οὐδαμοῦ.* Vide A. v. Gutschmid opusc. IV 346.

[5] Item iudicant Andresen, Tac. ed. Nipperdey-Andresen[10] 1904 p. XXXII. B. Niese *Der jüdische Historiker Flavius Josephus* in *Hist. Zs.* LXXVI 1896, 210, 1. U. v. Wilamowitz-Moellendorff in *Kultur der Gegenwart* I 8, 171. A. v. Gutschmid l. l. 367 cogitat — mea quidem sententia non recte — de Apione per Tacitum exhausto l. V 2—10 historiarum.

ubique sequitur fontem Iudaeis infestum. Iamque novimus nomen Romani cuiusdam nobilis scriptoris, Antonii Iuliani[1]. Ac bene accidit, quod notus est etiam procurator eiusdem nominis, qui concilio illo a Tito ante Hierosolyma convocato interfuit deliberanti, urbs esset delenda necne[2]. Cum Minucius Felix (Oct. 33, 4) nulla distinctione addita loquatur de Antonio Iuliano, colligendum est hunc esse eundem procuratorem ac scriptorem[3]. Praeterea quisquis auctor a Tacito de Iudaeis excussus est, is supremum magnum Iudaeorum certamen annorum 67—70 haud dubie optime cognitum habuit, cum Tacitus, qui rerum militarium alioquin non gnarum se praebeat[4], de singulis exercitus Iudaïci partibus, quomodo sint dispositae, satis perspicue explicare possit atque etiam nos edoceat, qui tum fuerit status urbis seditionibus discordiisque in diversas partes distractae[5]. Ea cuncta bene quadrant ad Antonium Iulianum, praesertim cum in discrimine rerum a Tito arcessitus esset consilii causa, quod ipse ut procurator erat aptissimus ad dandum. Quin animo concipere possumus, quod iudicium de Iudaeis huic procuratori fuerit. Per se nempe intellegitur eum non aliter de invisissima ista gente cogitavisse quam ceteros procuratores, qui Iudaeos omni tempore ad seditionem paratos opprimendi nullam praetermiserunt occasionem[6]. Quorum satis constat Felicem procuratorem inde ab anno 52[7] condicionem huc deduxisse, ut Iudaei ad iugum imperii Romani abiciendum coorti non prius decertare desisterent, quam eorum urbs solo adaequaretur. Huic autem certamini acerbissimo Antonius Iulianus ut *ἐπίτροπος* Titi interfuerat bellique saevitiam pernoverat, unde caperet in Iudaeos odium implacabile. Atque etiam animo cogitemus auctores Romanos, qui externarum gentium historiae certam partem sibi proposuerunt de-

---

[1] Minucius Felix, Octav. 33 § 4: 'si Romanis magis gaudes, Antoni Iuliani de Iudaeis require: iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, ita prius eos deseruisse comprehendes quam esse desertos (sc. Iudaeos)'. [2] Vide Ios. bell. Iud. VI 237 sq. Niese.

[3] Vide M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* II 2, 238. 258. *PWR* s. v. Antonius 68. [4] Tac. ed. Nipperdey-Andresen[10] p. XXXIV.

[5] Hist. V 11—13. [6] Vide E. Schuerer, l. l. I[3] 565.

[7] Ann. XII 54. Hist. V 9. M. Joël *Blicke* II 69 sq.

scribendam, aliquo loco operis exponere solere, quomodo populis illis res cum Romanis fuerit ad id momentum temporis, inde a quo eorum facta planius atque uberius enarrare volunt; ita Sallustius in belli Iugurthini c. V § 4 sqq. Numidarum cum Romanis condicionem explanat ante bellum illud gravissimum annorum 111—105; ita Tacitus Germaniae in capite XXXVII bella enumerat a populo Romano cum Germanis gesta ante Traiani aetatem idemque Agricolae in capitibus XIII—XVII commemorat expeditiones a Romanis in Britanniam factas, priusquam Agricola illuc traiecit. Iam igitur Antonii ut historici Romani referre debebat imprimis explicare, quatenus res Iudaeis cum Romanis praecipueque cum procuratoribus convenisset, ac bene accidit, quod ipse, cum procurator esset, acta priorum procuratorum Hierosolymis deposita quaeque procul dubio res illas Iudaicas continebant, inspicere poterat. Hoc modo comperit Iesum ab Iudaeis ad procuratorem Pontium Pilatum tractum, tamen ab illo iis delegatum esse damnandum et supplicio afficiendum. Inde elucet Tacitum fontem adhibuisse satis uberem, atque quod gravius est, fide dignum de Iesu Nazareno eiusque sorte, neque iam habemus, cur eum bene instructum esse de auctore Christianorum ab Iudaeis cruci affixo miremur. Quin etiam verba 'repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat . . . per Iudaeam' ostendunt Tacitum in proposito fonte etiam plura quaedam legisse de tumultibus nonnullis post Iesum percussum ortis. At quaeritur, num huic de magistro Nazareno nuntio fides historica habeatur. Auctor annalium, ut diximus, scientiam de Christo ex Antonio hausit, cui fontes prompti erant satis certi fideque digni; inde sequitur, ut Antonius non eas res pro veris tradiderit, quas per fabulam modo de Christo fictam pervulgatas esse putes[1].

Iamque iuvat cogitationes, quae verbis adhuc tractatis inhaerent, subtilius excutere, ut cognoscamus, congruatne iudicium de Christianis cum ingenio Taciti; quod si probatum invenerimus, nihil vero nos impediet, quin ea verba genuina esse iudicemus. Christianorum fidem nominat auctor super-

[1] Vide R. Wuensch *G. G. A.* 1911, 674.

stitionem, h. e. iis abrogat veram ac meram religionem. Hoc est conveniens Taciti opinioni, qui cunctas extra Romanam religiones significat superstitiones[1]: Germanorum Germ. 39, 9, Druidarum hist. IV 54, 12, Aegyptiorum hist. I 11, 4, IV 81, 7, ann. II 85, 13, Britannorum Agric. 11, 11. Inter populos superstitioni indulgentes numerat etiam Iudaeorum gentem[2], quae est superstitioni obnoxia[3], religionibus adversa[3] excellitque insuper praeter ceteras gentes pervicacia superstitionis pravae[4]. Neque aliud est historici iudicium de Christianis, sed multo acerbius. Nam horum sectatorum superstitio est exitiabilis, h. e. idonea ad rem publicam subvertendam, idque ob eam rem, quod qui ea superstitione obstricti sunt, deorum publicorum cultum despuunt. Etiam in hac sententia percipimus Taciti ingenium, qui reverentiam salutis deorumque rei publicae supremam legem iudicat[5]; et Christianos vero iam priscis temporibus exstitisse contemptores sacrorum Romanorum supra demonstravi[6]. Praeterea ann. XV 44 Iesu cultores ex Iudaeis profecti esse dicuntur[7] et quamquam hae duae sectae minime confunduntur, tamen in rebus quibusdam similes finguntur ita, ut similitudines illae explicari non possint nisi auctorem Romanum in iudicio de Christianis ferendo capitum illorum libri V historiarum ad Iudaeos spectantium[8] rationem habuisse sumamus, qua in re et ipsa Tacitus utique pernoscitur neque de interpolatore Christiano cogitare licet. Ergo etiam inde Tacitus ducendus est auctor sententiarum de Christianis modo prolatarum.

Iam transeamus ad alteram huius capitis partem tractandam. 'Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita

---

[1] Vide ann. XI 15, 8: 'externae superstitiones'. Cf. L. Friedländer *Darstellungen aus der Sittengesch. Roms* IV[8] 146.

[2] Ann. II 85, 11. 13. [3] Hist. V 13, 2; V[8] 7. 15.

[4] Hist. II 4, 13.

[5] Vide R. v. Poehlmann *Die Weltanschauung des Tacitus* in *Sitz.-Ber. Münch. Ak., phil.-hist. Kl.* 1910 I 27.

[6] Vide supra 74 sq. [7] Ad id conferas quaeso supra 82 sq.

[8] Hist. V 5. 8. 9.

ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi atque flammandi, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur'.

Primum censuram criticam horum verborum acturus sum. Duo enim loci huius capitis partis prae se ferunt corruptelam, quorum priore habent codices: 'odio humani generis coniuncti sunt'. Verbum 'coniungere' cum codicibus unus Cuq servare studet contendens hoc esse iuris vocabulum intellegendum de reo citato, qui una cum aliis de eodem crimine causam dicat. At huic sententiae nonnulla sunt obicienda. Primum iam Fr. Arnold recte monuit huius verbi significationem forensem adhiberi nonnisi de rebus hereditariis[1]. Deinde nusquam in Taciti operibus hoc vocabulum legitur illa vi instructum. Adde huc, quod 'coniungere' semel tantum, quantum videmus, cum 'in' praepositione constructum invenitur[2] Cic. Sulla 93: 'quoniam in re publica coniuncti sumus' alia quidem ac Taciti loco postulata significatione. Cum igitur vocabuli notio non sufficiat huius enuntiati sententiae, mutandum est. Itaque proposuit Gaston Boissier 'coniuncti reperti sunt'. Sed priusquam verba addimus, nostrum est experiri, num quae tradita sunt, corrigere possimus ita, ut nullo vocabulo addito sensus ad sententiam quadret. Quod spectantes plurimi editores hoc verbum commutaverunt in 'convicti', quod praeter litterarum similitudinem usu quoque dicendi probatur. Nam Fr. Arnold l. l. apte docet 'convinci' bene opponi verbo 'fateri' apud Cic. Verr. III 149: 'quod sive fateris sive convinceris'; et bene accidere, quod 'convinci' verbum cum voce 'crimen' coniunctum atque etiam cum praepositione 'in' constructum legatur apud Cic. Sulla 83: 'quotiens quisque est in hoc scelere convictus'. Praeterea annoto Sall. Catil. 52, 36, ubi 'convincere' invenimus coniunctum cum 'confiteri': 'indicio T. Volturci . . .

[1] L. l. 6 sqq. [2] Vide Thes. ling. Lat. IV 334, 5.

convicti confessique sint caedem . . . . paravisse'; cum 'in' praepositione verbum copulatum videmus Cic. Verr. V 104: 'omnibus in rebus', Plin. N. H. XVIII 12: 'in homicidio'. Etiam Tacitus aliis locis 'convincere' usurpat: germ. 12, 8; hist. IV 45, 8; ann. III 36, 15; VI 23, 5; XIII 47, 16; XIV 24, 12; 50, 6; XV 66, 8; 71, 14[1]. Denique optime G. Andresen nos admonet formulas vocum 'iungere' et 'vincere' persaepe inter se permutari[2].

Secundus locus in codicibus corruptus hic est: 'et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi . . .'. Super 'flammandi' in Mediceo codice a posteriore manu 'in' superscriptum est. 'Flammare' quidem verbum simplex apud Tacitum nullam habet vim nisi incitandi: hist. II 74, 8: 'omnis exercitus flammaverat adrogantia venientium'; hist. IV 24, 14 sq.: 'his inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatae a Vespasiano litterae', neque negari potest 'inflammare' verbum ab ipso auctore proprie esse exhibitum: ann. XV 41, 11 sq.: 'quo (sc. incendio) et Senones captam urbem inflammaverint'. Tamen verbum 'flammare' hoc loco tangere non ausim, cum librarius ipse Medicei codicis eam formam ex proposito in suum apographum recipere non dubitaverit et Apuleius quoque 'de mundo' tractationis loco quodam hoc vocabulum notione incendendi usurpaverit[3].

Sed maxime res versatur in verbis continuis 'aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi'. Tota enim sententia de suppliciis, variae offensioni obnoxia, facile intellegatur, si haec verba 'aut crucibus affixi aut flammandi' omnino deessent. Tum revera haberemus duo supplicia, quibus insunt ludibria: 'ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur'. Quare K. Nipperdey iudicat verba illa ab interpolatore Christiano

[1] Vide Gerber-Greef, Lex. Tac. s. v. convincere.

[2] Vide *Wochenschr. f. klass. Philol.* XXVII 1910 col. 390 adn. 1.

[3] Apuleius floruit sexto fere decennio secundi saeculi; M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* 3, 105; de mundo (Apulei opera, quae supersunt ed. P. Thomas Lips. 1908 vol. III, 141): 'ignes illi immortales dei vivacitate flammantur'. Sil. Ital. I 55: 'iuvenem facta ad Mavortia flammat'.

esse interposita poenas usitatissimas desiderante. Sed optimo iure Fr. Arnold[1] huic proposito praeter alia hoc obiecit vix cuiquam legenti 'ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur' in mentem venisse textui immittere verbum 'flammandi'. Iam his verbis cum Nipperdeio deletis res non producitur. Alia ratione Iac. Bernays rei subsidio venire studet scribens 'aut crucibus affixi et flamma di[vex]ati ubi'. Neque eius sententiam comprobem, cum 'divexare' verbum apud Tacitum omnino desideretur, qua de causa haec coniectura ut parum probabilis non satis commendari potest. Etiam Halmii propositum mihi non placet, qui in suam editionem verba Sulpicii Severi Chron. II 29 Taciti annales consulentis transtulit: 'multi crucibus affixi aut flamma usti, aliique, ubi defecisset dies . . . urerentur'. Si mittimus molestam iterationem 'usti . . . urerentur', gravius est, quod Sulpicius Tacitum non ad verbum expressit, qui usus eius librum inspicienti primo obtutu apparet[2]. Praeterea, si ante 'flamma usti' vox 'aut' servatur, 'crucibus affixi' inter supplicia cum ludibriis coniuncta habetur, quamquam id ludibrio caret. Etiam Arnoldii coniecturam excutere meum est, qui sic corrigere vult[3]: 'aut crucibus affixi sunt flammandi utque'. Tamen manifestum est a coniunctione 'ut' enuntiatum illud ordiri, quod supplicia ludibriis aucta amplectatur; quare non licet ab verbis 'aut crucibus affixi sunt' novum enuntiatum indicativo expressum ordiri, quod huius sententiae dimidium contineat. E. Wolff verba difficilia ita mutare proponit: 'aut crucibus adfixi flammaeque dati, ubi'. Sed intellegere non possum, quo modo ex verbis 'flammaeque dati' 'flammandi atque' exstiterit. Quibus coniecturis repudiatis denuo nobis incipiendum est a textu Medicei codicis. Cum 'crucibus affigi' et 'flammari' nequaquam per se, verum coniuncta tantum habenda sint inter supplicia ludicra, inde sequitur, ut 'aut' ante 'flammandi' perperam positum sit, quod censeo esse mutandum in 'atque'. Sed illud 'atque', quod exstat ante 'ubi defecisset dies', supervacaneum est, cum haec verba 'ubi defecisset dies' temporis indicium

---

[1] L. l. 8 sq.
[2] Vide infra 98 sq. 101.
[3] L. l. 11.

contineant ad antecedentia verba 'atque flammandi' supplenda[1]. Ex sententia ita restituta textum, quem hodie legimus, hac fere ratione exstitisse fortasse colligas: aliquis librarius, qui legit 'aut crucibus affixi atque flammandi ubi', ad primum 'aut' respiciens alterum desideravit ante 'flammandi' et voci 'atque' superscripsit 'aut'. Alter 'atque' et 'aut' superscriptum inter se permutavit ita, ut 'aut' in textum ipsum immitteret 'atque' invicem supra posito. Iamque tertius 'atque' illud ita transmutatum ante 'ubi' posuit.

Postquam hoc modo textui mederi conati sumus, primum inspicere aggrediamur, quatenus dicendi genus Taciti etiam in his sententiis reperiamus. 'Corripere' verbum in eius operibus legitur vicies octies; decies habet vim propriam capiendi, comprehendendi, toties significationem in ius vocandi, accusandi. Ceterorum octo locorum, quibus verbum exhibet vim a sensu forensi hic postulato discrepantem, rationem haberi non oportet[2]. Ex sequentibus verbis 'deinde indicio eorum ... convicti sunt' apparet significationem 'in ius vocandi' hoc loco esse praeferendam. Participio 'correpti' subiectum est additum sententia relativa 'qui fatebantur'[3]. In verbis 'odio

---

[1] Hanc rationem loco medendi etiam a Weymano probatam inveni, qui legit 'et flammandi, ubi dies defecisset' in *Festgabe für M. von Schanz*, Würzburg 1912, 172. Vide supra 62 adn. 2 fin.

[2] Vide Gerber-Greef, Lex. Tac. s. v. corripere.

[3] Permagna est inter doctos viros disceptatio, quae sententia ad 'fatebantur' verbum sit supplenda. Ut plane ingenium Taciti cognoscamus, etiam in hanc quaestionem inquirere mihi liceat. Alii igitur cogitant de additamento 'se incendium incitasse', alii de verbis 'se Christianos esse'. E. Th. Klette l. l. 117. 140sq. nomina virorum doctorum congessit, qui alterutri sententiae indulgent. Fr. Arnold l. l. 19—22. 63sq. ob eam rem supplementum 'se Christianos esse' reiecit, quia 'fateri' verbum nullo loco vim haberet 'profitendi', 'palam fatendi'. Sed 'fateri' hoc loco idem esse atque 'confiteri', quod de religione adhibere consuescimus, minime opus est. Ii, quicumque corripiebantur, fatebantur illis, qui Christianos homines investigare erant iussi, h. e. non negabant, adnuebant se esse Christianos. Atque hoc revera esse supplendum nonnullae considerationes mihi demonstrare videntur: primum Tacitus expressis verbis dicit incendium, quo modo ortum sit, nesciri seu forte seu dolo principis (ann. XV 38, 1). Praeter casum principisve dolum ignem alio tertio modo, dico a Christianis, fieri potuisse nullo verbo commemorat (vide P. Allard *L'incendie de Rome et*

humani generis' P. Hochart offenditur, quae e Tertulliani scriniis deprompta esse autumat[1]. Sed verba 'humanum genus' propria sunt Taciti eiusque aetatis[2]; vide Tac. Agric. 2, 7: 'conscientiam generis humani', hist. I 30, 11: 'consensus generis humani'; similiter ann. XIII 50, 3: 'generi mortalium'. Cum verbis 'et pereuntibus addita ludibria' prodest fortasse comparare ann. XVI 11, 15 sqq.: 'Accusati . . . decretumque ut more maiorum punirentur. At Nero intercessit mortem sine arbitro permittens. Ea caedibus peractis ludibria adiciebantur'. 'Sontes' adiectivum hic ponitur pro substantivo ut ann. XII 56, 16 sq.: 'pugnatum quamquam inter sontes

---

les premiers chrétiens in *Rev. des quest. hist.* LXXIII 1903, 341; G. Andresen in *Wochenschr. f. klass. Philol.* XXVII 1910 col. 389). Sed nequaquam addubitari potest, quin crimen incendii in novos sectatores Tacitus fuerit involuturus, si illi quamvis pauci aliqua ratione auctores incendii se fuisse fassi essent. Deinde c. 44 legimus verba ipsa 'Nero subdidit reos', h. e. Tacitus ipse persuasum habebat Christianos quamquam sontes promptissimosque ad quaelibet scelera tamen huiusce calamitatis vacuos esse omni culpa. Praeterea non tam referebat, an primi correpti incendium incitavissent quam num revera essent Christianorum falso crimini subditorum. Namque ut homines primo in ius vocati se incendium fecisse negarent, iam non erat, cur protinus in vinculis tenerentur vel etiam punirentur. Aliter res se habebat, si sectae illius imperio Romano exitiabilis odioque humani generis inflammatae esse rei convincebantur. Tum profecto exstabat odium generis humani per se unum poenis quaesitissimis dignum: 'haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt' (Th. Mommsen *Religionsfrevel* in *Jur. Schr.* III 393). Quae verba Taciti pertinent et ad 'correpti, qui fatebantur' et ad 'ingens multitudo'. Denique Tacitus si quid de culpa Christianorum scivisset atque etiam credidisset, non infra scripsisset in eos homines, quos ipse sontes et novissima exempla meritos nominat, misericordiam esse ortam. His explicatis 'fateri' hoc loco esse 'non negare' dico et supplendum 'se Christianos esse' (ann. I 58, 18: 'filiam necessitate huc adductam fateor'). Neque quisquam sumat Christianos tunc iam propter fidem esse vexatos, cum minime satis exploratum sit verbo 'fateri' vim 'profitendi' inesse. Vide Th. Mommsen *Religionsfrevel* in *Jur. Schr.* III 392; G. Boissier *L'incendie de Rome et la prem. perséc. chrét.* in *Journ. des Savants* 1902, 164; M. P. Allard *Haben die Christen Rom unter Nero in Brand gesteckt?* Straßburg 1905, 27—29.

[1] L. l. 216; Tert. apol. 37 (Oehler vol. I 251): 'hostes maluistis vocare generis humani potius quam erroris humani'.

[2] Vide Tac. hist. III 68, 3; ann. III 59, 12; XIII 14, 17; praeterea Plin. min. in ep. ad Traianum 1 § 2; 17b; 52; 102 (Kukula).

fortium virorum animo'[1]. Cum verbis 'miseratio oriebatur' bene confertur ann. XIII 15, 12: 'unde orta miseratio'. 'Absumere' vocabulum positum pro 'interimere, perdere, conficere' de hominibus dictum Tacitus septies adhibet[2].

Deinde iam quaeramus de rebus ipsis huius partis atque in causas inquiramus ab adversariis testimonii auctoritatis congestas, quatenus sint probandae aut reiciendae.

Quorum P. Hochart miratur, cur Christiani suppliciis afficiendi non delegati sint a Nerone ad senatum neque omnino is magistratus nominetur, qui tum in sectatores animadverterit; hoc intellegi nequire nisi ita, ut illis incendii diebus Nero contra ius legesque in Christianos provectus sit; itaque ea in re interpolatorem cerni Romanos falso gravis criminis arguentem; nam magistratus Romanos, qui omnibus temporibus summa iustitia reorum causas egissent, tunc nequaquam a recta via iuris dicendi abscedere potuisse[3].

At haec ratiocinatio admodum claudicat. Nam varie res explicari potest. Nihil obstat, quin imperatorem causam sectatorum ad iudicium aliquod detulisse sumamus. Tamen Tacitus hoc loco non id appetit, ut quam diligentissime singulos totius Christianorum causae gradus pertractet, sed potius ut Neronis immanitatem cum per totum incendium tum in noxiis quaerendis puniendisque manifestam depingat. Quare obscurius scripsit 'correpti, qui fatebantur' non addito, quid illi sint fassi[4]; ita hoc loco, dum ad eventum festinat, aspernatur magistratum nuncupare. Sed fieri quoque potuit, ut Nero Iesu cultores omnino non ad aliquem magistratum delegaret puniendos nedum ad senatum, cuius in se odium ei pernotum erat[5]. Satis enim perspicue cognitum habemus Caesarem nihil curasse ius eundemque saepenumero ipsum in noxios vel sibi graves ac suspiciosos homines animadvertisse et postea

---

[1] Tacitus 'sontes' quinquies usurpat; adiect.: ann. XIV 48, 20; XV 35, 11; substant.: ann. IV 71, 8; XII 56, 17; XV 44, 25. Vide Gerber-Greef l. l. s. v. sons.

[2] Hist. I 79, 23: 'saevitia hiemis aut vulnerum absumpti'; IV 65, 9; ann. II 4, 5; 24, 6; VI 32, 11; XII 39, 15; XV 44, 27. Vide Gerber-Greef l. l. s. v. absumere.

[3] L. l. 184. 181. 182.

[4] Vide supra 91 adn. 3.

[5] Vide ann. XV 36, 18 sq.

quidem senatui ea, quae fecisset, comprobanda proposuisse[1]. Et licebat principi nullis iudicibus per coercitionem in sceleratos provehi[2]. Sed nimius erat numerus Christianorum, quam de quibus ipse quaestionem haberet ac fortasse aptum iudicabat hanc curam deferre ad aliquem satellitem sibi deditum velut Tigellinum[3], ne diuturnis iudiciis nimium temporis consumeretur[4].

Sed ex suppliciis quoque, quae de Christianis tunc sumpta esse Tacitus memoriae prodit, nonnulli argumentum ducere conati sunt contra fidem testimonii. Quod H. Schiller opponit poenas illas nequaquam fuisse novas aut inauditas[5], recte quidem dicit. Verum Tacitus nullo verbo sententiam emisit eas fuisse novas, sed hoc unum addit iis adiecta esse ludibria scilicet ita, ut Christiani tergis ferarum contecti bestiis obicerentur aut spectatoribus tamquam faces vivae lucerent[6]. P. Hochart vero Neronis aetate tantas crudelitates fuisse negat, sed ad hanc opinionem confirmandam permulta testimonia affert, quae atrocitatem illius saeculi patefaciunt[7]. Nimirum animo praeoccupato sensum illis omnibus locis alienum

[1] Vide H. Schiller *Nero* 365. 366. 368. Ad id conferas ann. XV 73.

[2] Vide ann. XV 67, 5: 'interrogatusque a Nerone'. H. Schiller *Ein Problem der Tacituserklärung* in Commentationibus philolog. in hon. Theod. Mommseni, Berol. 1877, 46. Th. Mommsen *Röm. Strafr.* 271; E. Th. Klette l. l. 99—102.

[3] Id quod censet etiam G. Schoenaich *Die Neronische Christenverfolgung*, Breslau 1911, 11. 13.

[4] Etiam Iuvenalis tale aliquid scivisse videtur ad Tigellinum hanc curam esse delatam, id quod verba sat. I 155 sqq. demonstrant: 'Pone Tigellinum, taeda lucebis in illa, Qua stantes ardent, qui fixo pectore fumant, Et latum media sulcum deducis harena'. Quos versus scholiasta quoque (Th. Mommsen *Ges. Schr.* VII 1909, 510 sq.) recte ad quaestionem post incendium habitam rettulit: 'pone te vituperare Tigellinum, quem si laeseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. 156: Nero maleficos homines theda et papiro et cera supervestiebat, ut arderent. 157: addictus enim cum per arenam traheretur, sulcum corpore suo fecit.'

[5] *Nero* 437; id. *Gesch. der röm. Kais.* I 449.

[6] Vide Fr. Arnold l. l. 25, 2.

[7] L. l. 187—191: Iuv. sat. I 155; VIII 231 sqq.; Senec. ep. XIV 4; id. de clement. II 4; id. de ira III 3, 6; Mart. epigr. X 25, 5.

supponere conatur, quod in uno exemplo demonstrasse satis habeo. L. l. p. 191 in poenis a Caligula iussis negat senatum equitesque fuisse animo tam servili, ut saevitiam illius ferrent (Suet. Calig. 27, 3—5 Ihm). Hoc ei levissimum argumentum sufficit, ut fidem Suetonii deneget. Attamen senatum in modum servorum hunc principem adulatum esse satis constat [1]. Itaque si putat poenam ignis tempore procedente esse abolitam nec dignam fuisse humanitate aetatis illius [2], admodum errat. Namque supplicium illud quo diutius eo frequentius de incendiariis, quorum in numero tunc Nero Christianos collocavit, esse exactum pernotum est [3]. Ac licet quaedam eorum, quae Seneca et Martialis et Iuvenalis de frequentia poenae igne comburendi dixerint, attribuantur licentiae rhetoricae, tamen ipsorum Caesarum temporibus hoc genus supplicii satis crebrum fuit [4]. Etiam 'crucibus affigi' erat poena tunc valde usitata [5], quae imprimis exigebatur de hominibus humilioribus, quam ob rem etiam Christianis conveniebat.

Quibus cognitis non dicemus cum Hochartio verba illa ad poenas ludicras spectantia sapere interpolatorem Christianum neque genuina esse Taciti, praesertim cum Iuvenalis testimonium I 155 sqq. reicere nobis minime liceat.

Restat denique ultimum viri docti argumentum contra testimonii auctoritatem arcessitum. Ei enim suspiciosa sunt annalium verba: 'hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens', qui horti positi erant loco Agrippinae hortorum inter Vaticanum et Ianiculum collem sitorum [6]. P. Hochart igitur, quamquam ipse in memoriam vocat ann. XIV 14, 9: 'clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos regeret' (sc. Nero), tamen ibi vere circum fuisse negat [7]. Sed

[1] Suet. Calig. 14, 1; 16, 4.

[2] L. l. 198—206; item A. Drews *Christusmythe* II 63.

[3] Vide iam XII leges 8, 9 Schoell, Gaius Dig. 47, 9, 9: 'qui aedes acervumque frumenti iuxta domum positum combusserit, vinctus verberatus igni necari iubetur, si modo sciens prudensque id commisit'. Th. Mommsen *Röm. Strafr.* 923.

[4] Vide Th. Mommsen l. l. [5] Th. Mommsen l. l. 918 sqq.

[6] Vide O. Richter *Topographie der Stadt Rom*, München 1901, 277.

[7] L. l. 210; item A. Drews l. l. 63.

veteres quidam auctores hanc sententiam refellunt. Ille enim est idem campus, ubi aliquando, ut modo dixi, siti erant Agrippinae horti posteaque ab eius filio Gaio Caligula circus est structus[1]. Plinius in N. H. XXXVI 74 de ea re nos docet: 'Romae in Vaticano Gai et Neronis principum circo'.

Praeterea iudicat P. Hochart Neronem audere nequisse multa nocte plebi misceri, si de vulgi gratia dubitaverit; permirumque videri principem in iisdem, quos hortos civibus calamitate afflictis permisisset habitandos, incendiarios iussisse igni cremari; quin iuxta id, quod duodecim tabulis[2] esset vetitum hominem in urbe comburi, principem ob ignis periculum illic flammis dari Christianos pati non potuisse[3]. His rationibus obiciendum est primum, quod imperator, quippe qui apud populum sese purgare vellet a crimine incendii, recte fecit, cum metu deposito audacter plebi se immisceret evincendi causa se civium gratia confisum suaeque innocentiae conscium nihil sibi timere. Porro lex ab Hochartio in subsidium vocata huc non pertinet: Vaticanus ager etiam illis temporibus situs est extra urbis ipsius regiones; neque dubitari potest, quin in vastis spatiis hortorum perfacile loca inventa sint, quibus nullo ignis periculo Christiani cremarentur[4]. Praeterea ea ipsa regio erat aptissima spectaculis, si Nero cives igni vexatos, quibus hortos dedisset habitandos[5], spectare vellet ac memoriam incendii oblitterari.

Priusquam Hochartii argumentis refutatis summam quaestionum de Taciti super Iesu testimonio habitarum complector, liceat mihi eiusdem viri docti iudicium[6] excutere testimonium totum a Christiano falsario in textum Taciti esse immissum.

---

[1] Cass. Dio LIX 14 ed. Boissevain vol. II 633; Suet. Calig. 54, 1; Suet. Claud. 21, 2: 'circenses frequenter etiam in Vaticano commisit' (sc. Claudius).

[2] Cic. leg. II 23.

[3] L. l. 211 sq.

[4] Quod iam animadvertit C. Douais, l. l. 351.

[5] Ann. XV 39, 5 sq.: 'sed solacium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit'.

[6] Quam sententiam saepius, sed nullo argumento addito amplexus est A. Drews; vide *Christusmythe* I 179; II 76. *Berlin. Religionsgespräche: Hat Jesus gelebt?* 27.

Cui primum hoc est suspicioni, quod nemo antiquorum scriptorum nec Romanus neque Graecus neque Iudaeus vexationis illius Christianorum mentionem facit[1]. Hic optimo iure Joh. Weiß (*Jesus von Nazareth, Mythus oder Geschichte*, Tübingen 1910, 85) quaerit, quinam in censum venire possint. Suetonius Neronem in Christianos sectatores animadvertisse non silentio praeteriit, Nero 16, 2: 'afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae'[2]. Iosephum consulto cavisse, ne sectam Iesu discipulorum commemoraret, in capite primo eruimus. A Philone vero non maiore iure quam a Iosepho quidpiam de Iesu Nazareno eiusque cultoribus poscere debemus, cum occasionem non habeat Neronis mentionem movere in Christianos tunc provecti. Restat denique Cassius Dio, qui incendio quidem urbis plane illustrato nihil scire videtur de Christianorum suppliciis. Sed inde argumentum deducere contra fidem Taciti valde est periculosum. Namque vita ut aliorum imperatorum ita Neronis nobis conservata est nonnisi in epitoma Xiphilini Monachi, qui vixit XI saeculo[3]. Is autem non modo Neronem, verum etiam alios, quos Christianis infestos fuisse constat, Caesares contra sectatores se convertisse silentio praeterit[4]. Tamen inde non necessario sequitur, ut Cassius Dio nihil in historiarum libris de vexationibus Christianorum enuntiaverit, sed id quoque fieri potuit, ut ea, quae Cassius attulisset, Xiphilinus suo consilio omitteret. Nam cum epit. LXX 3, 1 sq. ed. Boissevain vol. III 659: *Ὁ γὰρ Ἀντωνῖνος ὁμολογεῖται παρὰ πάντων . . . οὔτε Χριστιανοῖς ἐπαχθής, ἀλλὰ πολλήν τινα τούτοις νέμων αἰδώ* conferas simile iudicium de Marco Aurelio Antonino LXXI 9, 3 sqq. ed.

[1] L. l. 221.

[2] Suetonium vexationem illam non coniungere cum incendio urbis eo explicatur, quod facta principis dividit in bona et mala. Incendium est maleficium imperatoris, supplicia de sectatoribus pravis et maleficis exacta sunt beneficium generis humani. P. Hochart autem ne huic quidem nuntio Suetonii fidem habet. Vide 259 sqq.

[3] Vide W. Christ *Gesch. griech. Lit.*[4] 702.

[4] Severum in Christianos saeviisse non commemorat (Cassii Dionis op. ed. Boissevain vol. III 685 sqq.; de persecutione illa vide M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* III 253 sq.); item de aliis Christianorum vexationibus silet. Cass. Dio LXII 16—18 ed. Boissevain vol. III, 55 sq.

Boissevain vol. III 663. Animum intendas quaeso ad verba *οὔτε ἐπαχθὴς Χριστιανοῖς*, unde apparet alios priores imperatores fuisse *ἐπαχθεῖς Χριστιανοῖς*. Attamen in epitoma Xiphilinus nihil de hac re pronuntiavit, quam ob rem sumere cogimur eum talia consulto omisisse. Ita haec Hochartii argumentatio corruit.

Denique ad interpolationem statuendam vir ille doctus comparat (248) Tacitum cum Sulpicio Severo.

Tac. ann. XV 44:

deinde indicio eorum multitudo ingens . . . .

Sed non ope humana . . . decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur.

(c. 40, 7 sq.: videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere.)

Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat.

Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi atque flammandi, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur . . .

Sulp. Sev. Chron. II 29:

interea abundante iam Christianorum multitudine accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat, credebaturque imperator gloriam innovandae urbis quaesisse. Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum incendium putaretur.

Igitur vertit invidiam in Christianos actaeque in innoxios crudelissimae quaestiones.

Quin et novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; multi crucibus affixi aut flamma usti; plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hoc initio in Christianos saeviri coeptum.

Unde concludit aut Sulpicium Severum Taciti narrationem in suas historias recepisse aut ex Sulpicii textu postea hunc de Christianorum vexatione nuntium in annalium librum XV esse immissum (249). Eique vero probabilius videtur ex Se-

veri chronicis hoc testimonium in Taciti annales esse subditum, quod ut probet, demonstrare conatur de persecutione Neroniana nequaquam Tacitum esse adhibitum a scriptore ecclesiastico. Primum enim Sulpicio, quem, quamvis virum fuisse eruditum confiteamur, tamen Taciti opera nota fuisse negat nisi, ut illis temporibus mos fuerit, per libros ab epitomatore quodam in angustum contractos. Quo iure P. Hochart haec dicere sibi sumat, merito quaerimus, cum aliunde de epitoma Taciti nihil sciamus. Sed ut vero illa aetate epitomam nunc deperditam extitisse concedamus, tamen aptum documentum nobis hoc est ipsis Sulpicii Severi (IV saeculo exeunte) temporibus annales notos fuisse etiam non mutilatos aut in angustum coactos: Ammianus Marcellinus, qui denuo Tacitum studiis amplis complecti coepit, in rebus gestis conscribendis praeter alios etiam annalium auctorem ipsum inspexisse debet, id quod similes loci in huius et illius opere demonstrant [1]. Itaque quisquis Tacitum noscere avebat, is libros, quales auctor ediderat, legere poterat.

Alterum huic asserit P. Hochart argumentum, quo ostendat Sulpicio Severo de Christianorum sub Nerone vexatione non opus fuisse annalium XV libro; nam eum de his rebus secutum esse nullius auctoritatem nisi ecclesiae sanctae; cum Neroniana in Iesu discipulos saevitia innotuerit aeque inter ethnicos et Christianos, neutiquam dubitari posse, quin Sulpicius de suis fratribus ethnicum scriptorem consulere sit aspernatus [2]. Quod verum non esse probat Severus ipse, qui in operis prooemio haec habet (Chron. I 1, 4 sq.): 'ceterum illud non pigebit fateri me, sicubi ratio exegit, ad distinguenda tempora continuandamque seriem usum esse historicis mundialibus [3] atque ex his, quae ad supplementum cognitionis deerant, usurpasse'; quo in loco reicienda est Hochartii falsa interpretatio contendentis haec verba non alio spectare nisi ad unum ordinem temporis servandum. Neque enim rationem habet verborum: 'atque ex his, quae ad supplementum cogni-

[1] Vide Ed. Woelfflin in *Philol.* XXIX 1870, 559; H. Wirz in *Philol.* XXXVI 1877, 634 sq.; M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* II 2, 247. 251; IV 1, 97.

[2] L. l. 250 sq.

[3] Alio loco loquitur de 'saeculariis': II 14, 4; II 14, 7.

tionis deerant usurpasse', e quibus luce clarius apparet Sulpicium auctores ethnicos adisse non modo temporis recte observandi causa, verum etiam ut res ipsas illinc hauriret. Quod idem probatur Chron. II 5, 7: 'quamquam id non in sacra historia scriptum invenerim. Sed forte accidit, dum multa evolverem, annotationem hanc iam interpolato per aetatem libello sine auctoris nomine reperirem ... quam praetereundam non putavi'. His aliisque indiciis nisus Iac. Bernays optime demonstravit Severum, quamvis scriptores ethnicos in subsidium vocatos ne nuncuparet nominatim caveret, tamen plus semel per silentium etiam Taciti libros consuluisse [1].

Sed iam ipsi exquiramus, utrum in ecclesiastici de Christianorum suppliciis narratione magis eluceat memoria ecclesiae sanctae an Taciti annalium. P. Hochart enim colligit originem Christianam Sulpicii fontium pernosci posse ex rebus in modum fabulae relatis, quem fontem putat apocalypsim; documento esse verba: 'novae mortes excogitatae', documento illa cuncta, quae in annalium libro XV de suppliciis dicta essent abhorrentia ab usu Taciti aetatis [2], documento denique, quod historicus Romanus locum, ubi Christiani perissent, accurate definiret, non ecclesiasticus; nam verba: 'hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat' tunc demum scribi potuisse, tunc demum esse supposita annalium textui, quando fabula ficta esset de Pauli et Petri reliquiis in Vaticano repositis; in his omnibus rebus aperte deprehendi monachum occidentis media aetate [3].

Primum non necessario verba: 'novae mortes excogitatae' ita sunt intellegenda, ut ex apocalypsi prodierint, neque etiam perspici potest, cur eo spectare putanda sint. Minime enim est mirum, quod Sulpicius Taciti verba: 'et pereuntibus addita ludibria' augendo mutavit in: 'novae mortes excogitatae', quam rem Tacitus recte descripsit, perperam Severus, cum poenas illas non tam fuisse novas quam ludicras constet [4]. Quam ob rem sumere non poterimus interpolatorem Christianum e Sulpicio testimonium de vexatione Neroniana Taciti annalibus subdidisse: nam tum tanto eum fuisse acumine necesse

[1] Iac. Bernays *Über die Chronik des Sulpicius Severus*, Berl. 1861, 30. 48. 53. [2] Quae sententia supra 94 sq. reiecta est.
[3] L. l. 254 sq. [4] Vide supra 94.

est, ut ecclesiastici verba: 'novae mortes excogitatae' summa cum sollertia corrigeret in: 'et pereuntibus addita ludibria' valde redolentia Taciti stilum.

Restat silentium Severi de loco, ubi de Christianis supplicia sunt exacta. At hoc ipsum gravissimum est argumentum Tacitum ab illo esse usurpatum, non traditionem ecclesiae. Nam secundum memoriam ecclesiae in Vaticano conditae erant reliquiae Pauli et Petri, qui Neronis aetate et ipsi suppliciis absumpti esse ab ecclesiasticis dicebantur[1]. Iamque Sulpicius si doctrinam Christianorum esset secutus, non haec silentio praeterisset. Sed Taciti narratio ei animo obversatur: ibi vero non invenit Vaticani nomen, nihil de Paulo et Petro, neque aliud legit nisi: 'hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat'. Hos hortos commemoratione dignos non putavit. Neque etiam desunt, quae contra Hochartium demonstrent Sulpicium Taciti annalibus usum eiusque cuncta de incendio relata legisse. Non ignorat Neronem tempore incendii versatum esse Antii, Chron. II 29: 'Nerone apud Antium constituto', item Caesarem gloriam novae urbis condendae quaesisse, II 29: 'credebaturque imperator gloriam innovandae urbis quaesisse'. Praeterea autem valde prodest haec conferre:

Chron. II 28, 2:	Ann. XV 37, 15 sqq.:
id tantum annotasse contentus sum, hunc per omnia foedissima et crudelissima eo processisse, ut matrem interficeret, post etiam Pythagorae cuidam in modum sollemnium coniugiorum denuberet; inditum imperatori flammeum; dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique, quae vel in feminis non sine veracundia conspiciuntur, spectata. Reliqua vero eius incertum pigeat an pudeat magis disserere.	ipse per licita atque inlicita foedatus nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi . . . . uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae fuit) in modum sollemnium coniugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum, visi auspices, dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique spectata, quae etiam in femina nox operit.

[1] August., De civit. Dei VII 4.

Quae verba utriusque similia non intellegamus, si ex Sulpicio Tacitum esse interpolatum sumamus. An interpolator fuit tam sollers, ut consulto 'auspices' illos adderet? Ego equidem addubitarim. Immo vero hic apertum est historicum Christianum facta descripsisse easque res omisisse, quas ad Christianos lectores vix pertinere iudicavit.

His explicatis demonstrasse mihi videor auctorem annalium revera ab ecclesiastico scriptore cum in aliis rebus tum de vexatione Iesu cultorum anni 64 esse adhibitum. Quod si verum est, fieri non potuit, ut fraudator Christianus Sulpicii chronica usurpaverit ad testimonium Taciti textui supponendum. Si quis nihilo setius in interpolatione permanet, sumere cogitur testimonium de Christianis intercalatum esse post Taciti exitum ante Sulpicii Severi aetatem. At ei coniecturae causae obstant quaedam gravissimae. Ac primum quidem Tacitum saeculis inde a secundo usque ad quartum valde esse neglectum constat[1]. Iamque excogitari nequit, quem ad finem falsarius Christianus laborem subierit, huic ipsi auctori tum temporis fere ignoto iudicium de Iesu Nazareno subdere. Deinde ipsa verba de Christianis sectatoribus suppliciis affectis tam exquisita arte rhetorica composita esse vidimus (supra 93), tanta granditate, tanta sententiarum obscuritate, ut cuncta ad unum sapiant Taciti grave ingenium.

Tum male fraudator gloriae dei et ecclesiae suppetiverit, cum testimonium insereret plenum acerbissimi in Iesu discipulos odii. Nemo vero inveniatur, qui 'invisos per flagitia ...', 'superstitionis exitiabilis, ... eius mali ... quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque ... odio humani generis ... adversus sontes et novissima exempla meritos' ex Christiani ingenio prodisse credat[2].

Denique non est credibile interpolatorem occasionem praetermisisse aliquo modo Pauli et Petri quamvis concisis verbis

---

[1] Vide M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* II 2, 247 sq.

[2] A. Drews quidem (*Christusmythe* II 41 sq.) cuncta iudicia de Christianis acerba censet irrita fieri verbis: 'misericordia oriebatur', non recte, ut opinor; nam verba his 'misericordia oriebatur' antecedentia cum tanto odio sunt dicta, ut iudicium de Christianis acerbum nulla alia sententia nedum duobus verbis tolli possit.

commemorandi. Interpolationes Christianae compositae esse solent imperitius quam ea, quae omnino carent doctrina ecclesiae. Documento est Iosephi de Iesu Nazareno testimonium.

Quibus contra coniecturam interpolationis causis collatis iam propero summam quaestionis paucis verbis complecti ad demonstrandam testimonii auctoritatem.

Res, quae quidem ad historiam spectent, veritati convenientissime a Tacito sunt reddita. Argumenta ab Hochartio aliisque contra congesta sibi non stant. De historia Iesu Nazareni ei propositus erat auctor satis instructus.

Elocutio est vera ac mera Taciti. Ars rhetorica huius loci ad summum gradum cognoscitur aucta.

Idemque iudicium de tota auctoris ratione sentiendi valere cognovimus 86 sq.

Unde sequitur Taciti de Iesu Nazareno eiusque sectatoribus testimonium totum esse genuinum.

Caput IV

De Suetonio

Neque Suetonius Christianorum sectam silentio praeteriit; quem illos a Nerone esse vexatos memoriae prodidisse in Nerone 16, 2 supra 97 diximus. Sed etiam alter locus eius scriptoris nobis perscrutandus est Claud. 25, 4: 'Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantis (imperator) Roma expulit', de quo docti viri dissenserunt, cum alii nomen Chresti respicere censerent ad Iesum Nazarenum Christum, alii denegarent. P. Hochart vero non dubitavit vel hoc totum enuntiatum ab interpolatore Christiano in textum Suetonii esse immissum autumare[1].

Agedum primum quaeramus, num sub voce 'Chresto' revera Iesu cognomen 'Christus' sit intellegendum, deinde positne hic locus a Christiano fraudatore esse subditus. Qui quidem hic de Iesu Nazareno agi sentiunt, verba illa Suetonii non solum ad Iudaeos pertinere dicunt, sed etiam ad Christianos; Iudaeos enim et Christianos tunc de religione inter se rixari coepisse adeo, ut imperator in eos animadvertere cogeretur[2]. At huic opinioni testimonia repugnant, ex quibus contrarium necesse est colligatur. In actis ipsis apostolorum mentio fit Iudaeorum a Claudio expulsorum Christianis nullo verbo commemoratis, nedum Christo ut impulsore illius calamitatis, act. 18, 2: *Καὶ εὑρών τινα Ἰουδαίων*[3] *ὀνόματι Ἀκύλαν . . . . προσφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, καὶ Πρίσκιλλαν*

[1] *Études au sujet de la persécution des Chrétiens sous Néron*, Paris 1885, 282.

[2] Th. Keim *Rom u. das Christentum*, Berl. 1881, 173; A. v. Reumont *Gesch. der Stadt Rom* I, 358.

[3] Aperte hoc loco dicitur Aquilam esse Iudaeum hominem. B. Weiß

γυναῖκα αὐτοῦ, διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῆς Ῥώμης. Item Cassius Dio, ubi Claudium in Iudaeos provectum narrat, nihil de Christianorum expulsione tradit LX 6 § 6: *Τούς τε Ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μέν, τῷ δὲ δὴ πατρίῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι. τάς τε ἑταιρείας ἐπαναχθείσας ὑπὸ τοῦ Γαΐου διέλυσε.* Etiam Orosius ipse, quamquam sub Chresto Christum intellegit, valde in dubio haesitat, utrum tunc Christiani quoque expulsi sint necne; adv. paganos hist. VII 6, 15: 'anno eiusdem (sc. Claudii) nono [1] expulsos per Claudium urbe Iudaeos Iosephus refert [2]. Sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo: Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit, quod utrum contra Christum tumultuantes Iudaeos coerceri et comprimi iusserit an etiam Christianos simul velut cognatae religionis homines voluerit expelli nequaquam discernitur'. Itaque cum Suetonius sicut Cassius Dio et auctor actorum Iudaeos tantum tum exturbatos esse aperte dicat, edictum ad Christianos certe pertinuisse non potest. At sunt tamen, qui nihilo setius contra doctrinam Christi tunc actum esse contendant arbitrati hoc loco sub Chresto a Suetonio Christum esse intellectum, cum ethnici Christum et Chrestum promiscue vocitassent [3]; Tranquillum nullius Chresti praeter Iesum notitiam habuisse [4]; quare si alium atque illum commemorare voluisset, 'quodam'

in comment. ad hunc locum, *Die Apostelgesch., kathol. Briefe, Apokalypse*, Leipzig² 1910, 167 conscripto e participio *εὑρών* recte collegit Aquilam, quem Paulus fortuito casu invenit, Corinthum profectum esse nullo vinculo cum Christianis coniunctum neque eorum doctrina imbutum.

[1] H. e. anno 49. De tempore et singulis rebus Suet., auctor act., Cass. Dio, Oros. inter se non consentiunt: E. Schürer *Gesch. des jüd. Volkes* III³, 32 adn. 88 et 33. Sed in hac quaestione id nihil refert, cum hoc tantum agatur, num aliorum praeter Iudaeos expulsio commemoretur.

[2] Hodie nihil de ea re in Iosephi libris legimus. Orosius hoc errasse videtur.

[3] Ita Th. Keim l. l. 171 sq.; C. Douais *La perséc. des Chrétiens de Rome en l'année 64* in *Rev. des quest. hist.* XXXVIII 1885, 362; A. Linsenmayer *Die Bekämpfung des Christentums durch den röm. Staat*, München 1905, 54, 1.

[4] Th. Keim l. l. 171. H. D'Avis *Die Zeugnisse nichtchr. Autoren des 1. Jahrh. üb. Christus u. das Christent.*, Progr. Sigmaringen 1873, 14.

indefinitum ei addendum fuisse; verum quamquam auctorem novae sectae cognitum habuisset, tamen eius ignorantiam fuisse tantam, ut illum Claudio imperitante etiam viventem effingeret atque insuper Romae versatum[1]. Harum sententiarum nulla est vera. Primum satis constat Chrestum nomen apud Romanos fuisse usitatissimum gratissimumque per totum imperium[2]. Neque per se quidquam obstat, quominus aliquem Iudaeorum instigatorem Romae versatum esse sumamus ut Claudii aetate haud ignobilem ita etiam Suetonio satis cognitum, quamvis nos ipsi de viro illo in dubio esse non desinamus. Praeterea autem non est Suetonii homines adhuc ignotos 'quidam' pronomine inducere; Caes. 68, 4: 'nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, vel Cassi Scaevae centurionis vel Gai Acili militis'; Calig. 30, 2: 'cumque Tetrinius latro postularetur, et qui postularent, Tetrinios esse ait'[3]. Itaque non mirum est scriptorem etiam hoc loco 'quodam' indefinitum addere aspernatum esse. Eum vero putasse Iesum sub Claudio Caesare etiam vixisse eundemque Romae ipsius versatum verisimile non est, quem non minorem scientiam de Christianis habuisse quam Tacitum sumamus. Quod si cogitamus, multae

---

[1] H. D'Avis l. l.; H. W. J. Thiersch *Die Kirche im apostol. Zeitalter*, Frankf. a. M. 1852, 99.

[2] Mart. VII 55, 1: 'nulli munera, Chreste, si remittis'; id. IX 27, 1. 14. Iustin. ed. Ruehl XXXVIII 5, 8: 'regem Bithyniae Chreston'. Granius Licinianus (vixit Antoninorum ferme temporibus; M. Schanz *Gesch. röm. Lit.* III 80) ed. Flemisch 30: 'Chrestus etiam quasi meliore nomine . . . vocatus'. Vide etiam ex. gr. CIL XII 264. 4322. 4761. 5194. XIV 246 VI 31. 3727. 4092 no. 5. Hoc Suetonii loco agitur de urbano Romano. Iam prodest fortasse ex volumine VI CIL demonstrare, quam frequenter Chresti nomen in Romae ipsius inscriptionibus legatur, quarum indicem benignissime Dr. Bang Berolinensis mihi misit. CIL VI 200 I 6; V 42. 668. 880. 975 I 7. 1056 b II 3. 1057 II 129. 1058 II 44; V 39. 1833 b. 1871. 1929. 1949. 3555. 4329. 5640. 5645. 5716. 6208. 6385. 6390. 6398. 6402. 6561. 7460. 7846. 7921. 10046 I 6; 2. 10100. 10233, 1, 8. 11034. 11035. 11036. 11037. 11038. 11707. 11823. 12242. 12335. 12574. 12815. 12930. 14058. 14433. 14756. 14757. 14758. 14760. 14761. 14762. 14805. 15384. 15891. 16178. 16837. 17352. 17831. 18021. 18022. 18249. 18975. 19208. 20276. 20750 b. 20770. 20775. 21531. 22052. 22837. 24255. 24605. 25449. 26157. 26421. 27172. 27255. 28324. 28659. 29094. 32543, 31. 32923 a, 16. 32997. 33472. 33772. 34623.

[3] Vide etiam Cal. 27, 4. 29, 2. 35, 3. 38, 4. Nero. 57, 2. Dom. 10, 2 (Ihm).

oriuntur difficultates, si Claud. 25, 4 Christum pro Chresto ponimus. Tum enim quaeramus necesse est, cur Suetonius Iudaeorum expulsionem commemoraturus Christianorum auctoris mentionem moveat certiore explicatione non data, at de illo sileat, cum eius sectatores a Nerone vexatos esse narret.

Iam vero verba: 'assidue tumultuantis' male quadrant ad Iesum propter adverbium 'assidue'; inde enim liquido apparet tumultum illum anno 49 iam aliquantum temporis durasse. Atqui sumere non ausim iam tunc tantas discordias Romae praesertim exstitisse inter Iudaeos de Iesu ipso, ut ii ob eam rem tumultuantes expelli deberent. Nam satis perspicue scimus ex actis 28, 17 sqq. Iudaeos ad Paulum plus decennio post Iudaeorum illam exturbationem Romae versantem venisse avidos, ut de nova secta certiores fierent; quod vix fecissent, si quindecim ante annis ob rixas de hac doctrina ortas exturbati fuissent.

Inde cognoscimus, quantas hic Suetonii locus praebeat difficultates, si Chresti nomen ad auctorem Christianorum referimus. Immo perfacile intellegitur, si sumimus Iudaeos tum auctore aliquo viro, cui 'Chrestus' nomen cotidianum ac vulgare fuit, adeo tumultuari non desiisse, ut edictum de iis expellendis emitteretur. Sed cum hic locus necesse est de Iudaeo quodam Chresto cognominato intellegatur ac pro genuino habeatur, Hochartii sententia haec verba ad Iesum spectare et ab interpolatore Christiano postea in Suetonii textum esse immissa reicienda est[1].

[1] Ne in ea re longus sim, in adnotatione perpauca contra Hochartii coniecturam afferre mihi liceat. Primum res de Iudaeis exstat Suetonii in vita Claudii loco apto nec suspecto. Est enim, ubi Tranquillus de externis gentibus loquitur, quo modo a Claudio tractatae sint. Antecedunt res de peregrinis hominibus, de provinciis Achaia et Macedonia, de Lyciis, Rhodiis, Iliensibus; deinde Iudaei commemorantur; iam sequuntur nonnulla de Germanis, Druidis, alia de sacris Eleusiniis Romam transferendis temploque Veneris Erycinae in Sicilia reficiendo. Quod ad formulam 'tumultuantis' pertinet, Suetonius participia in is et es exeuntia promiscue ursurpat, cf. Claud. 25, 4 (Ihm): 'sedentis' et Claud. 38: 'sedentes'. Denique quis Christianus interpolator tam stulte ageret, ut Iesum etiam sub Claudio Romae versatum effingeret insuperque Iudaeos instigantem, ut 'Chresto' pro 'Christo' poneret utque tam praefracte diceret: 'Chresto impulsore.

Conclusio

Quattuor igitur testimoniorum de Iesu Nazareno, quae dicuntur, apud veteres exstantium unum neutiquam ad Iesum Christum respicit, dico Suetonii Tranquilli, alterum Iosephi ant. XVIII 63 sq. ante Eusebium vel ipsius aetate, quale hodie legitur, est subditum. Testimonium de Christo obiter a Iosepho ant. XX 200 allatum habendum est pro genuino atque etiam Suetonii verba de Christianorum vexatione (Nero 16, 2) pro veris agnoscantur necesse est. Sed ex his locis haud multa de primordiis Christianorum sectae comperimus. Plinii autem epistula, quam germanam esse cognovimus, edocemur altero decennio saeculi secundi ineunte in Bithynia et Ponto Christianos iam ad grandem numerum accrevisse, qui Christum ut deum venerabantur (§ 7). Quodsi huius tantae multitudinis rationem habemus atque cogitamus, quam accurate ab illis sectatoribus cuncta praecepta et instituta curentur, id quod ex cognitionibus per Plinium habitis colligimus, nobis sumendum est Christianos iam satis diu ante Secundi legationem ibi inveteravisse. Atque hoc est primum veterum scriptorum testimonium Romanos ob ipsam religionem publicam in discrimen vocatam coactos esse in novos sectatores animadvertere. Iesu quidem ipsius de vita neque inde quidquam comperimus neque ex Traiani responso nobis genuino probatoque.

Annalium denique testimonium est Taciti ipsius et gravissimum, de quo haec sunt colligenda: Auctori de Christianis prompti fuerunt fontes satis instructi ac summae auctoritatis; quare eius verbis fides est habenda; summa sententiarum in ann. XV 44 de Christianis exstantium est haec: Romae iam Neronis aetate Christiani fuerunt. Hi Christum pro auctore ipsorum agnoverunt. Magister Nazarenus sub Pontio Pilato cruci affixus est. Cum Taciti verbis fides habeatur oporteat, Iesus vixisse neutiquam negari potest.

Conspectus librorum

Numeris in fine titulorum additis significantur paginae, ubi opera auctorum primum afferuntur. Praetermitto editiones antiquorum scriptorum (praeter Haverkampium) et nonnullos titulos parum graves.

1. P. Allard *L'incendie de Rome et les premiers Chrétiens* in *Rev. des quest. hist.* LXXIII 1903. 82, 9.
   id. *Haben die Christen Rom unter Nero in Brand gesteckt?* Straßburg 1905. 91, 3.
2. G. Andresen *Wochenschr. f. klass. Philol.* 1902 n. 28. 78, 5.
   id. *Wochenschr. f. klass. Philol.* 1910 n. 14. 89, 2.
3. Frankl. Arnold *Die Neron. Christenverfolgung*, Leipzig 1888. 62, 2.
   id. *Studien zur Gesch. der Plin. Christenverfolgung* in *Theol. Studien u. Skizzen aus Ostpreußen*, Königsberg I 1887. 35, 4.
4. F. Asmussen *Josephus und das Christentum* in *Deutsch-evang. Blätter* X 1896. 13, 3.
5. L. Aubé *Histoire des persécutions de l'église jusqu'à la fin des Antonins*, Paris[2] 1875. 48, 1.
6. H. D'Avis *Die Zeugnisse nichtchristl. Autoren des erst. Jahrh. über Christus u. das Christentum*, Sigmaringen 1873. 105, 3.
7. E. Ch. Babut *Remarques sur les deux lettres de Pline et de Trajan relatives aux Chrétiens de Bithynie* in *Rev. d'hist. et de litt. rél.* I 1910. 51, 5.
8. B. Bauer *Christus und die Caesaren*, Berlin 1877. 52, 4.
9. A. Berendts *Texte u. Untersuchungen zur altchristl. Lit.* XXIX 1906. 20, 4.
10. Jac. Bernays *Ueber die Chronik des Sulpicius Severus*, Berlin 1861. 62, 2.
11. F. Blaß *Hermes* XXX 1895. 77, 4.
12. C. F. Böhmert *Ueb. des Flav. Josephus Zeugnis von Christo*, Leipz. 1823. 5, 2.
13. Gast. Boissier *Rev. archéol.* XXXI 2, 1876. 46, 3.
   id. *L'incendie de Rome et la première perséc. chrét.* in *Journal des Savants* 1912. 91, 3.
14. Bormann *Eph. archaeol.-epigr. Mitteilungen aus Oesterreich* XV. 33, 9.

15. W. Brandt *Die jüd. Baptismen od. das religiöse Waschen und Baden im Judentum mit Einschluß des Judenchristentums; Beiheft zur Ztschr. f. alttest. Wiss.* XVIII Gießen 1910. 15, 2.
16. Demmler *Theol. Stud. aus Württemberg* I 1880. 16, 1.
17. E. Desjardins *Rev. des deux mondes* VI 1874. 34, 5.
18. Dessau, Inscript. select. 32, 3.
19. S. D. Fr. Detlefsen *Philol.* XXXIV 1876. 83, 9.
20. A. v. Domaszewski *Geschichte der röm. Kaiser.* 67, 4.
21. C. Douais *Rev. des quest. hist.* XXXVIII 1885. 73, 3.
22. A. Draeger *Histor. Syntax d. lat. Sprache*, Leipzig[2] 1881. 48, 2.
23. A. Drews *Christusmythe* I Jena 1910. II Jena 1911. } 1.

id. *Hat Jesus gelebt?* in *Berlin. Religionsgesprächen.* 96, 6.

24. H. Drüner *Untersuch. üb. Josephus*, Diss. Marburg 1896. 24, 1.
25. P. Dupuy *Annales de la faculté des lettres de Bordeaux* II 1880. 44, 2.
26. H. C. A. Eichstädt, Flaviani de Iesu Christo testimonii *αὐθεντία*, quo iure nuper defensa sit, quaestio I Jena 1813. 6, 1.

id. Quaestionibus sex super Flaviano de Iesu Christo testimonio auctarium II Jena 1842. 25, 2.

27. Ph. Fabia *Les sources de Tacite dans les histoires et les annales*, Paris 1893. 64, 3.
28. H. Franke *Zur Geschichte Trajans*, Guestrow 1837. 49, 8.
29. L. Friedländer *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms*, Leipzig[8] IV 1910. 13, 1.
30. F. X. Funk *Lit. Rundschau für d. kath. Deutschland* XVI 1890. 25, 3.
31. A. Gercke *Der Christenname ein Scheltname* in *Siebs, Festschrift zur Jahrhundertfeier der Univers. z. Breslau* 1911. 75, 6.

id. *Senecastudien* in *Jb. f. klass. Philol.* Suppl. XXII 1899. 82, 10.

32. E. Gerlach *Die Weissagungen des A. T. in den Schriften des Flav. Josephus und das angebliche Zeugnis von Christo.* Berlin 1863. 11, 3.
33. Gibbon *History of the decline and fall of the Roman empire*, nov. edit. London vol. II 1897. 62, 5.
34. J. C. L. Gieseler *Lehrb. der Kirchengeschichte.* 10, 2.
35. F. Gläser, Quaest. Sueton. de vita Lucani, Diss. Vratisl. 1911. 66, 7.
36. Maurice Goguel *L'eucharistie des origines à Justinus Martyr*, Paris 1910. 47, 3.
37. A. v. Gutschmid, opusc. IV. 5, 4.
38. E. G. Hardy *Journal of Philology* XVII 1888. 40, 1.

id. Plin. ep. ed. London 1889. 40, 1.

39. A. Harnack *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrh.* Leipzig 1902. 47, 4.

id. *Chronologie* I 1897. 76, 5.

40. Haverkamp, ed. Iosephi opera. 18, 3.
41. Fr. Ad. Heinichen, Eusebii scripta historica vol. III 1870. 23, 4.

42. Jul. Held, Prolegomena ad librum epistularum, quas mutuo sibi scripsisse Plinium iuniorem et Traianum Caesarem viri docti credunt, Progr. Schweidnitz 1835. 37, 9.
id. *Über den Wert der Briefsammlung des jüng. Plin. in bezug auf die Geschichte der röm. Lit.* 1833. 34, 3.
43. E. Hertlein *Der Daniel der Römerzeit.* 12, 7.
44. A. Hilgenfeld *Einleitung in das N. T.* Leipz. 1875. 73, 6.
45. P. Hochart *Études au sujet de la perséc. des Chrét. sous Néron*, Paris 1885. 32, 1.
46. K. Hönn *Lit. Zentralblatt* 1912. 2.
47. K. Hofbauer *Die erste Christenverfolgung, Beiträge zur Kritik der Tacitusstelle*, Oberhollabrunn 1908. 63, 2.
48. G. Jahn *Person Jesu*, Leiden 1911. 20, 5.
49. M. Joël *Blicke in die Religionsgeschichte* II 1883. 63.
50. Ad. Jülicher *Einl. in d. N. T.* Tübingen 1906. 72, 6.
51. G. Karpeles *Gesch. der jüd. Lit.* I². 17.
52. Th. Keim *Rom und das Christentum*, Berlin 1881. 53, 1.
53. E. Th. Klette *Die Christenkatastrophe unter Nero.* Tübingen 1907. 82, 10.
54. A. Klöpper *Ein paar Bemerkungen zu dem Urteil des Josephus über Joh. d. Täufer, Zs. f. wiss. Theologie* XXVIII 1885. 14, 2.
55. C. A. Kneller *Flav. Josephus über Jesus Christus* in *Stimmen aus Maria Laach* LIII 1897. 5, 2.
56. K. Krumbacher *Gesch. byz. Lit.*² 3.
57. Jos. Langen *Theol. Quartalschr.* 1865. 5, 2.
58. H. Lehmann *Claudius und Nero*, Gotha 1858. 84, 3.
59. Lindsay-Nohl *Die latein. Sprache*, Leipzig 1897. 79, 8.
60. A. Linsenmayer *Die Bekämpfung des Christentums durch den röm. Staat*, München 1905. 54, 4.
61. R. A. Lipsius *Über den Ursprung und ältesten Gebrauch des Christennamens*, Gratulationsschrift Jena 1873. 63.
id. *Die Pilatusakten kritisch untersucht*, Kiel 1871. 81, 3.
62. Fr. Maaßen *Über die Gründe des Kampfes zwischen dem heidn. röm. Staat und dem Christent.*, Wien 1882. 74, 5.
63. A. Mau *Pompei*, Leipzig 1900. 77, 5.
64. Meisterhans-Schwyzer *Gramm. der att. Inschr.*³ 1900. 79, 4.
65. Merrill *On a Bodleian copy of Pliny's letters* in *Class. Philol.* II 1907. 40, 3.
66. Joh. Meyer *Der Briefwechsel des Plinius u. Trajan*, Diss. Straßburg 1908. 35.
67. Th. Mommsen *Histor. Schriften* I. 32.
id. *Röm. Strafrecht.* 49, 8.
id. *Der Religionsfrevel nach röm. Recht* in *Jur. Schriften* III. 49, 8.
id. *Hermes* XIX 1884. 83, 2.
68. G. A. Müller *Christus bei Flavius Josephus*, Innsbruck 1895. 5, 7.
69. F. Münzer *Bonner Jahrb.* CIV 1899. 83, 7.

70. S. A. Naber *Mnemosyne, nov. sér. vol.* III, Lugd. Bat. 1885. 14.
71. K. Joh. Neumann *Der röm. Staat und die allgemeine Kirche*, Leipzig 1890. 47, 2.
72. B. Niese, De testimonio, quod est apud Ios. ant. Iud. XVIII 63 sq. disputatio, Marburgi index lectionum hibern. 1893/94. 5, 3.
id. *Der jüd. Historiker Flavius Josephus* in *Hist. Zs.* LXXVI 1896. 12, 4.
73. H. Nissen in *Rhein. Mus.* XXVI 1871. 71, 5.
74. E. Norden *Die antike Kunstprosa* II, Leipzig 1898. 60, 1.
75. Joh. Overbeck *Pompei*, Leipzig[4] 1884. 77, 5.
76. Overbeck *Studien zur Gesch. d. alten Kirche* I 1875. 77, 5.
77. R. Perdelwitz *Die Mysterienreligionen und das Problem des 1. Petrusbriefes* in *RGVV* XI 3. 75, 6.
78. H. Peter *Pontius Pilatus, d. röm. Landpfleger in Judaea* in *Neue Jb. f. d. kl. Altertum* XIX 1907. 81, 3.
id. *Der Brief in der röm. Lit.* in *Abh. Sächs. Gesellsch. Wiss.* XX. 35, 1.
79. R. v. Pöhlmann *Die Weltanschauung des Tacitus* in *Sitz.-Ber. Münch. Akad., phil.-hist. Kl.* 1910 I. 87, 5.
80. E. Preuschen *Handwörterbuch zu den Schriften des N. T. und der übrigen urchristl. Lit.*, Gießen 1910. 76, 5.
81. L. v. Ranke *Weltgeschichte* III 2. 64, 4.
82. Th. Reinach *Josèphe sur Jésus* in *Rev. des ét. juives* XXXV 1897. 5, 4.
83. A. v. Reumont *Geschichte der Stadt Rom* I. 104, 2.
84. O. Richter *Topographie der Stadt Rom*, München 1901. 95, 6.
85. E. Rohde, Opusc. I 1901 (h. e. *Rhein. Mus.* XXXIII 1878). 19, 7.
86. M. Schanz *Gesch. röm. Lit.*[3] 36, 3.
87. H. Schiller *Gesch. d. röm. Kaiserzeit.* 49, 4.
id. *Geschichte des röm. Kaiserreiches unter der Regierung des Nero*, Berlin 1872. 63.
id. *Ein Problem der Tacituserklärung* in Commentat. philol. in hon. Theod. Mommseni, Berlin 1877. 94, 2.
88. G. Schönaich *Die Neronische Christenverfolgung*, Breslau 1911. 94, 3.
89. E. Schürer *Gesch. des jüd. Volkes*[3]. 5, 1.
90. Siebert *Die ältesten Zeugnisse über das Christentum bei den röm. Schriftstellern*, Progr. Kais. Augusta Gymn. Charlottenburg 1897. 20, 5.
91. Sijthoff, Codices Graeci et Latini photographice depicti. 61.
92. G. Steck *Plinius im N. T.* in *Jb. für protest. Theolog.* XVII 1891. 51, 5.
93. H. W. J. Thiersch *Die Kirche im apostol. Zeitalter*, Frankfurt a. M. 1852. 106, 1.
94. V. Ussani, Quaestiones Flavianae in *Rivista di filologia* 1911. 6, 4.
95. J. A. Ussing *Om de Keiser Traian tillagte Breve til Plinius* in *Danske Vidensk. Schrift hist. o. phil. Afd.* III 1. 38.
96. Jos. Variot in *Rev. des quest. hist.* XXIV 1874. 33.

97. G. Volkmar *Jesus Nazarenus*, Zürich 1882. 8.
98. Voltaire *Œuvres complètes, Essai sur les mœurs* I, Paris 1878. 62, 5.
99. K. Wachsmuth *Einleitung in das Studium der alten Geschichte.* 6, 3.
100. B. Weiß *Paulin. Briefe und Hebräerbrief*, Leipzig[2] 1902. 74, 7.
id. *Apostelgeschichte, kathol. Briefe, Apokalypse*, Leipzig[2] 1910. 104, 3.
101. Joh. Weiß *Jesus von Nazareth, Mythus oder Geschichte*, Tübingen 1910. 1.
102. K. Weizsäcker *Das apostol. Zeitalter der christl. Kirche*, Freiburg i. Br. 1886. 53, 4.
103. P. Wendland *Einleitung in die Altertumswissenschaft* I, Berlin 1910. 12, 2.
id. *Die hellen.-röm. Kultur*, Tübingen[2] 1912. 68, 5.
104. Fr. Westberg *Die bibl. Chronologie nach Flav. Josephus und das Todesjahr Jesu*, Leipzig 1910. 84, 3.
105. C. Weymann *Tacitus über die Fackeln des Nero* in *Festgabe für M. v. Schanz*, Würzburg 1912. 62, 2.
106. S. Wide *Die religiösen Reformen des Augustus* in Gercke-Norden *Einleitung in die Altertumswissenschaft* II, Berlin-Leipzig 1910. 74, 3.
107. K. Wieseler *Des Josephus Zeugnis über Christus und Jacobus, den Bruder des Herrn*, in *Jb. f. deutsch. Theol.* 1878. 5, 7.
108. Ulr. v. Wilamowitz-Möllendorff in *Kultur der Gegenwart* I 8. 84, 5.
109. Carol. Guilhel. Ign. Wilde, De Plinii Caecilii Secundi et imperatoris Traiani epistulis mutuis, Diss. Lugdun. Bat. 1889. 36, 1.
110. H. Wirz in *Philol.* XXXVI 1877. 99, 1.
111. G. Wissowa *Religion u. Kultus der Römer*, München[2] 1912. 74, 3.
112. G. Wohlenberg *Das Heidentum nach der Beurteilung des Paulus* in *Neue kirchl. Zs.* XXIII 1912. 72, 9.
113. Ed. Wölfflin in *Philol.* XXIX 1870. 99, 1.
114. R. Wünsch in *G. G. A.* 1911. 86, 1.
115. Th. Zahn *Forschungen zur Gesch. des neutest. Kanons* VI 1900. 20.

Res memorabiles et nomina

Acta apostolorum et nomen Christianorum 75—77
Aloysius Mocenicus 39. 40
Antonius Iulianus, fons Taciti de Iesu 85 sq.
Antoninus, Marcus Aurelius 38
Apion 84, 5
Apollinaris, Sidonius 36
Ἀσιανὸς τύπος 77
Augustinus 13, 1
Augustus, restitutor veteris cultus 74
Avantius 40 sq.

baptisma 14 sqq.
Beroaldus 39
Bithynia 32. 33. 34. 55
Budaeus 40

Cassius Dio 16, 5. 17, 1. 39. 65. 97
Cataneus 41
Χριστιανοί sive *Χρηστιανοί* 61 cum adn. 2. 71; et Iudaei 72—75. 78; eorum appellatio Neronis aetate usitata 75—80.
Christus sive Chrestus 105—107; *Χριστός* sive *Χρηστός* 76, 6. 79. 80
Constantinus Porphyrogenitus 3
Chrysostomus, Joh. 10
Claudius et Iudaei 69 cum adn. 2
collegium 54, 4

David 12
Dio, Cassius vide s. v. Cassius
dominus 37
Domitianus 17. 37

Elissaeus 21
Esseni 13, 2. 16, 1. 23, 2
eucharistia 53
Eusebius 4. 6. 7. 10

'fatebantur', ad quod supplendum est in Tac. ann. XV 44 'se Christianos esse' 91, 3
Flavii 16

'genus humanum' est proprium Taciti ann. XV 44. 91 sq.

hetaeria 49. 51. 54
Hieronymus 6. 25, 3

Iacobus 7. 9. 13. 16. 30. 31
interpolatio Taciti ann. XV 44 est reicienda 96—103
Iohannes baptista 7, 5. 13—16. 18. 27, 2
Iosephus: Iudaei sub Nerone vexati esse non commemorantur 69, 3; I. non est fons Taciti de Iesu 84
Irenaeus 11
Isidorus Pelusiota 21, 4
Isis 17
Iudaei et Claudius 69 cum adn. 2; I. et Tiberius 68, 6; I. et Christiani 68. 72—75. 78
Iustinus 6. 11. 55, 6; I. et nomen Christianorum 76 cum adn. 6. 79, 5
Iuvenalis et Tigellinus 13, 1. 94, 4. 95

κοινή 73

Lactantius et nomen Christianorum 79
Lucanus et Nero incendiarius 66

Malalas 6, 6
maledicere 51
Manutius, Pius Aldus 36. 39, 5. 41
Marcus Aurelius, vide s. v. Antoninus
Marcianus 54, 4
Minucius Felix 53, 1 et 2. 85, 1
Moses 12. 21. 22

Nero, incendiarius putatur 65 sqq., Christianos cremandos curat 93 sq., in hortis 95 sq.
Nerva 59, 1

Octavia, uxor Neronis 67, 6. 68; O. praetexta 66
Οἰδιπόδειοι μίξεις 53
Origenes 6—10. 30. 35
Orosius 105

Patrum apostolicorum opera rec. Gebhardt, Harnack, Zahn II 51, 2
Paulus 14. 24. 72; P. et *κοινή* 73; P. et ep. ad Rom. missa 73; P. et nomen Christianorum 76. 100—102; P. et Aquila et Priscilla 104, 3; versatur Romae 107
Petavius, Alexander 18, 3
Petrus 100—102; P. et I ep. 75 cum adn. 6; P. et cod. Sinaïticus (*Χρηστιανός*) 78 sq.
Pharisaei 13. 15. 16, 1. 18. 22. 23
Philo 15. 24, 1. 97
Photius 10 sq.
Pilatus et Iudaei seditiosi 17; procurator Iudaeae 80 sq.; Pilati acta 20, 3. 81; P. et Iesus Nazarenus 70
Plinius maior et Nero incendiarius 66; P. non fons putandus est Taciti de Iesu 82 sq.
Plinius minor et nomen Christianorum 78
Polycarpus 51
Pompei et nomen Christianorum 77, 5; Pompeianus titulus (CIL IV 679) 77, 5
Pontus 32—34. 55
Poppaea Sabina 69

sacramentum 53
Sadducaei 13, 2
Saulus 12
Sidonius Apollinaris vide s. v. Apollinaris.
Sulpicius Severus 62, 2; adhibetur a nonnullis ad corruptelam Taciti sanandam 90; S. et Tacitus de Christianis 98—101
Suetonius, Claud. 25: 'Chresto impulsore' 79, 3; Nero 16, 2: 'afflicti Christiani' 97 cum adn. 2
Suidas 4
superstitio 57. 82. 87
supplicia Christianorum 94 sq.

Tacitus, sermo eius 70 sq., 91—93; fontes 81—86; interpolatio ann. XV 44 est reicienda 96 sqq.
Tertullianus 55. 59; T. et Christianorum nomen 79; T. et genus humanum 92
Tiberius et Iudaei 69; T. et Taciti de Iesu nuntius 81
Tigellinus 65. 67. 68. 94 cum adn. 4
Thucydides 23. 24, 1
Θυέστεια δεῖπνα 53

Ulpianus 49, 8

Vespasianus 16
Vitellius 17

Zonaras 3